IANI NICII
ERYTHRÆI

OPVSCVLA SPIRITVALIA TRIA;

I. Supplex Libellus ad Deum & B. V. Matrem.

II. Paradoxa Chriſtiana.

III. Sermones de quatuor Noviſſimis.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

COLONIÆ VBIORVM,
Apud IODOCVM KALCOVIVM
& ſocios. cIↃ IↃC XLVIII.

Hæc Opuſcula tria ſpiritualia Iani Nicii Erythræi merentur edi in lucem. Coloniæ, X *Decembris* cIↃ IↃC XLVII.

Henricus Francken Sierſtorpffius, S S. Theol. Doctor, librorum Cenſor.

IANI NICII

ERYTHRÆI

SVPPLEX LIBELLVS

AD DEVM

ET

B. V. MATREM.

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo

DOMINO

FABIO CHISIO,

Neritonenſi Epiſcopo,

Et Sedis Apoſtolicæ apud Vbios Nuncio,.

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS S. P. D.

QVantus Sacerdoti cum Deo uſus & amicitia intercedat, ſuperfluum ac non neceſſarium eſt dicere; tibi præſertim, qui tot annos, Neritonenſis Epiſcopus, magni Sacerdotis & interpretis apud Deum munere ſanctiſſime fungeris. Adeſt jam tempus, cum Sacerdotis, tui ſimilis, opera non modo mihi utilis eſt, verum etiam in primis neceſſaria. Maximis periculis circumvenior; ſalus mea æterna in diſcrimen adducitur; ac, niſi præſens ſit cautio, ilicet, actum eſt, perii. Dies judicii jam appetit; mors in foribus adeſt; ſunt peccata mea, fœda, intolerabilia, innumera; accuſatores, acres, vehementes, acerbi; teſtis contra me locupletiſſimus, meus nimirum animus conſcius, quo nihil eſt gravius; judex,

judex, ſi interea mors interceſſerit, non amplius ad ignoſcendum propenſus, ſed iratus, ſævus, nec precibus nec muneribus nec gratia nec lacrimis permovendus; ad quem ſi jam veniendum ſit, de damnatione non dubito: acerbitas magnitudoque pœnarum, quæ peccatis meis debentur, ſunt ejuſmodi, ut non modo eas quiſquam animo non comprehendere, ſed ne ſuſpicione quidem poſſit attingere; &, quod horrendum eſt dictu, nullus earum acerbitati modus, nullus futurus eſt finis. Quamobrem prævenienda eſt mihi judicis facies in confeſſione; hoc eſt, confeſſione leniendus, antea quam ſententiam ferat, antea quam feriat. Quocirca ſupplicem ad eum libellum, & ad matrem ſuam ſanctiſſimam, ſcripſi, quo me meamque cauſam, niſi ſi quid in ipſis ſit auxilii, niſi ſi quis locus miſericordiæ relinquatur, deſperatam ac perditam, quam poſſum demiſſiſſime ſubjectiſſimeque commendo. quem ad te mitto; non enim ego audeo, tot flagitiis inquinatus, tot ſceleribus coopertus, me illis in conſpectum dare; ut, cum, in Sacrificiis tuis, ſecreta ad colloquia admitteris, tradas illis in manus, priuſquam mater, cum puero ejus Ieſu, è ſtabulo Bethlehemitico abeat. id enim eſt tempus ad miſericordiam conſequendam aptiſſimum, cum uterque rebus omnibus ad neceſſarium uſum indigeat; ac licebit etiam,

puerum munuſculis in ſententiam noſtram adducere. Genus orationis, eſt lene, demiſſum, triſte, quale reum ſordidatum deceat; non autem tumidum, fucatum, lætum, exhilaratum, quo, in rebus ad voluntatem noſtram fluentibus, uti ſolemus. Non rogabo te pluribus: novi enim jam pridem propenſum tuum erga me animum. Vale. Romæ, viij Kalend. Februarii MDCXLVII.

SVPPLEX LIBELLVS

DEO IVDICI,

Ac Virgini Deiparæ Matri,

à

IANO NICIO ERYTHRÆO,

quantum terra ſuſtinet hominum improbiſſimo, oblatus.

CAPVT I.

QVoniam inter ea, quæ ad expugnandam miſericordiam tuam, Domine, principem locum obtinent lacrimæ; antea quam meum tibi poſtulatum exponam, quo videri miſerabilior poſſim, jube, infelices ac miſeros meos oculos, quantam maximam poſſunt, vim lacrimarum effundere; quas niſi à te impetraverim, fruſtra aliunde petierim. Tu lacrimas evocas; tu fletum commoves; ſine tua ope auxilioque, ad peccata deploranda quod attinet, peccatoribus pumicei plane ſunt oculi, nec lacrimam queunt unam exprimere. Olim dediſti mihi lumen, quo afflictam atque proſtratam animam meam aſpicerem, &, quo loco res ejus eſſent, intelligerem. ingens ſane beneficium. nunc, ad illud, hoc alterum quod peto, lacrimarum videlicet donum, adjunge. At ego, quum animo meo reputo eos, quos, ad pœnitendum, magnum ac ſingulare auxilium tuum attraxit, Mariæ Magdalenæ & Davidis Regis lacrimæ ſe mihi objiciunt; eaſque oculis meis evenire, plurimum opto. illa enim, uberi fletu atque perenni, gratum pedibus tuis lavacrum exhibuit; huic, quoad vita ſuppeditavit, ejuſmodi, ab oculis, fons lacrimarum erupit, ut eiſdem, per ſingulas noctes, lectum, ubi

cubabat, ablueret, vel potius obrueret; tanta vis fuit pœnitendi. Sed quoniam, ob peccata mea, ad eam mihi felicitatem adſpirare non licet, eas ſaltem lacrimas elargire, quas illi olim viduæ ex civitate Nain, unicum filium ſuum mortuum deploranti, dediſti. neque erit mihi difficile, eas conſequi, ſi animæ meæ, ex peccato defunctæ, funus materno affectu proſecutus fuero. quod nam enim mater, in morte unigeniti filii ſui, conſolationis genus admittit? quibus à lacrimis temperat? quibus ejulatibus parcit? Gravis quidem & acerba res eſt mors corporis; ſed nihil ad animæ funus. illud enim ita deperit, ut revicturum ſit rurſum; ita mortuum effertur, ut humi mandetur, nihil ſenſurum: anima vero, ſi ſine pœnitentia deceſſerim, ita moritur, ut revictura ſit nunquam ad gratiam; ita ex hoc mundo foras ejicitur, ut in profundum abyſſi, tanquam in carcerem, abripienda ſit, æterni ardoris igne crucianda, in earundem ſocietatem pœnarum, corpus, ita nitide delicateque à ſe habitum, attractura. Itaque, ſi, pro eo quod animæ interitus poſtulat, flendum eſt mihi, quis modus erit lacrimarum? quis lugendi finis conſtituetur? Deducant igitur oculi mei lacrimas per dies ac noctes, & non taceat pupilla oculi mei, quoad tu, Ieſus, vita ac reſurrectio mea, pertranſiens, incurras in funus animæ meæ, & miſericordia motus accedens, tangas loculum, & clames, Adoleſcens, tibi dico, ſurge; ad quam vocem reſideat, qui erat mortuus, & incipiat loqui, reddaturque matri ſuæ, hoc eſt, Eccleſiæ Sanctorum, à qua in ſpiritualem vitam editus eſt, & Sacramento corporis tui altus, ac ſalutaribus præceptis imbutus.

CAPVT II.

TOtus igitur lacrimis, tuo munere, madidus, flens, plorans, ingemiſcens, humi, non tam corpore quam mente & animo, fuſus, ad poſtulata, quæ à me tibi edenda ſunt, venio. Timeo à peccatis meis, Domine, timeo, ac toto corpore contremiſco. nam ſi eorum pondus multitudoque ſpectetur, longe arenam maris, gravitate ac numero, ſuperant; ſi fœditas turpitudoque

pitudoque animadvertatur, ita ſunt putida, ita horribilia, ut Angelos etiam ipſos, ſi Angelos mori fas eſſet, intolerabili odoris & aſpectus fœditate necarent. quamobrem, cum hæc cogito, primum, mei me pudet, adeo ut pudoris magnitudine, pene à mente atque à me ipſo diſcedam, meque oculis obviam tuis objicere nequeam. Ego ne, tot vitiis ac ſordibus plenus, prodire in conſpectum tuum audeam, qui ſplendor es & candor vitæ æternæ, qui invenis in Angelis tuis pravitatem? Deinde, formidine, ſupra quam dici poteſt, arripior, cum venit in mentem, ſeveriſſimi judicii tui, in quod peccatorum meorum iniquitas, in tui contemtum & dedecus plane redundans, deducenda eſt, examinanda, judicanda, damnanda. Etenim tu es, qui judicas orbem terrarum in juſtitia, qui nullum ſcelus, nullum flagitium, ſed quid inquam, ſcelus & flagitium? qui ne verbum quidem unum, perperam ex ore emiſſum, inultum impunitumque dimittis; ut, ſi ſummo jure mecum agatur, nulla ſalus ſervare me poſſit. Ex altera vero parte, ſi ad humanitatem benignitatemque tuam, mentem cogitationemque converto, (vide, quo progrediar,) hæc ipſa mea ſcelera atque peccata, quantumvis maxima atque graviſſima, magnam mihi ſpem miſericordiæ, à te impetrandæ, magnam ſalutis æternæ fiduciam objiciunt. nam, quid te, de ſinu Patris, ad hæc inferiora impulit, deduxit, attraxit, niſi graviſſima peccatorum meorum ſarcina, in humeros tibi impoſita? quid huc quæſitum adveniſti, niſi me miſerum, qui perieram? nonne tu paſtor es ille bonus, qui, nonaginta novem ovibus in amœniſſimo ac viridiſſimo cæli paſcuo relictis, in hanc deſertiſſimam ſolitudinem veniſti, ut centeſimam, quæ errabat, inveſtigares, invenires, inventam in humeros tibi rejiceres, atque intra cæleſtia ſepta reportares? Erravi, Domine, nec inficior; atque ita erravi, ut impudentia, audacia, iniquitate, ceteris, qui à te aberrarunt, progreſſus ſim longius. audio vocem tuam; nec me occulto, ſed prodo; non recedo, ſed tibi obviam prodeo nihil tibi eſt in me moræ, quin me comprehendas, in humeros tollas, ad ovium earum ſocietatem ac numerum referas, quæ foras ab

ovili pedem nunquam extulerunt. quod ſi feceris, teque Ioan. Baptiſta, præcurſor tuus, peccatorum meorum pondere oneratum aſpiciat, rurſus ſuum illud de te vetus uſurpabit elogium: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. At, ſi plane indignus tibi videor, cui tantum indulgeas, quem in ſinu, quem in humeris geſtes; patiar, feram; ſolum, ne deſerar, oro; aliæ tibi, ad me reducendum, ſunt viæ; quovis deſcendam, dummodo ne deſtituar, dummodo aliqua ſolicitudinis tuæ parte contineär. Eſt virga, eſt baculus tibi; adhibe utrumque: nam virga & baculus tuus, hæc me ipſa conſolabuntur. ſunt flagella; iis utere. nam à flagellis tuis voluptas non abeſt. eſt valetudo, ut homini ſeni, non incommoda; hanc exue. ſunt opes, pro mea tenuitate, exiguæ; has etiam, ſi placeat, adime. quamquam id mihi evenire jam video, ut bonis meis, per ſummam injuriam, evertar. Da tu igitur, ut æquo id animo feram; da tu etiam, quemadmodum Paulus Apoſtolus de veteribus illis Chriſtianis, ſanctiſſimis religioſiſſimiſque mortalibus, inquit, ut rapinam bonorum meorum cum gaudio ſuſtineam. Eſt denique anima ipſa; hanc adime. quamquam tu es ille benignus ac miſericors Dominus, qui non vis mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat.

CAPVT III.

VIrga igitur & baculo, vel ſi mavis flagello, me, qui ſicut ovis erravi, compeſce, atque ad ovile, unde receſſi, compelle; &, quia ſentio, multiplici me morbo teneri, longo, periculoſo, & gravi; medelam ægritudinum mearum, rationi conſentaneam, adhibe. Non eſſem adeo impudens, adeo temerarius, adeo mentis inops, ut rerum omnium opifici Dominoque, medici perſonam imponerem, niſi tu ipſe, eam antea te ſuſcepiſſe, dixiſſes, &, quaſi glorians, medici nomen ac partes uſurpaſſes. nam, accuſatus à Phariſæis, quod nimis familiariter cum Publicanis ac peccatoribus amicitias exerceres, ſermones conferres, convivium inires; audacter reſpondiſti, te non veniſſe ad juſtos,

juſtos, ſed ad peccatores, neque eſſe opus valentibus medico, ſed male habentibus. Æger ſum, circumdatus infirmitate, adeo ut, ab imis unguibus uſque ad verticem ſummum, expers ſim valetudinis. nam febris mihi in venis inſidet, omneſque animæ meæ vires ſuccumque depaſcitur; neque ea te latet, ſed maxime eſt oculis tuis, ſicut cetera omnia, aperta atque perſpicua. nam intemperantia, quæ eſt omnium perturbationum fons & origo, tanquam febris, ita cupiditate, iracundia, odio, invidia, & inani lætitia, omnem animi mei ſtatum inflammat, conturbat, incitat, ut ſanitate eum penitus ſpoliet, morbiſque perturbet. Veni igitur, nec moras innecte; ſana animam meam, quia peccavi tibi. ſed quid inquam, veni? modicæ fidei; dic tantum verbo, & ſanabitur anima mea; impera febri, & ſtatim febris abſcedet. Ille tantopere à te laudatus Centurio, quum puero ſuo, amiſſam valetudinem deprecatum ad te veniſſet, commode in hæc verba locutus fuiſſe traditur: Homo ſum, ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic, vade, & vadit; & alio, veni, & venit; & ſervo meo, fac hoc, & facit. Sicut, inquit, milites mei præſto mihi ſunt ad nutum, ita & febris, ſi illi imperaveris ut abeat, nulla interpoſita mora, diſcedet; ſi juſſeris valetudini, ut veniat, curriculo ea properabit venire, neque aves neque venti citius. dic igitur animæ meæ, Salus ego tua ſum; & ſana fiet, ex hac hora, anima mea. Quod ſi magis placeat, quæ tua eſt benignitas, me in eorum numero reponere, ad quos divertere, quibus cum vivere, ſermones conferre, cibum una capere, eiſdemque, cum eis, poculis uti, non dedignaris; aperiam tibi quidem intima domus meæ penetralia, &, quidquid intus celatur, exponam. Sed, quo ore, qua fronte, Regem Angelorum ac Dominum, in domunculam meam, telis aranearum; pulvere, ſituque obſitam, fumo denigratam, ſordibus fœdam, & immundis ſpiritibus obviam & apertam, excipiam? Profecto, ſimul ac veneris, operiet confuſio faciem meam, neque oculorum tuorum aciem ſuſtinebo. Sed, ſi mihi condixeris, ſicut olim Zacchæo condixiſti, ac dixeris, quia hodie in domo tua oportet me eſſe;

eſſe; quod nam tibi convivium, tanto hoſpite dignum, exornabo? quas cœnas dabo? quas menſas extruam, quæ tanto convivæ conveniant? quamquam nemo eſt, qui te, pro tua dignitate, poſſit accipere; ſive ille ſit homo omnium ſanctiſſimus, ſive ſit Angelus omnium primus. at iſti ſaltem, pro modulo quiſque ſuo, bonum tibi prandium anteponent, neque eſcas objicient, formidoloſas dictu, non eſu modo: ego vero, ſi uſus veniat, quodnam ferculi genus in prandium vel cœnam exhibeam? heu me; pudet proloqui; dicam tamen: ſcorpiones, ſerpentes, bufones, dracones, & immundum omne, quod ſtomachum moveat. his epulis referta eſt mea cella penuaria; his ferculis mea quotidie menſa completur; has eſcas, meæ in alvum animæ, congero. Vnum me recreat, unum me conſolatur, quod, ſi tantum mihi honorem habueris, ut pedem intro meam in domunculam feras, ſtatim hæc omnia à facie tua fugient, teque ſatis honorifice acceptum iri exiſtimabis, ſi duo illa obſonia proferentur, quæ tibi cordi ſunt maxime, quibuſque delectaris in primis: unum, ſi mihi jam ſedeat in animo, ſi fixum ac deliberatum exiſtat, imperata Patris tui facere; cibus enim meus eſt, inquis, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt. hæc etiam in nobis voluntas ſi adſit, cibus palato tuo jucundiſſimus erit: alterum, ſi quam mihi ſalutem, ad me veniens, attuleris, non rejiciam, non reſpuam, ſed hilari vultu cupientiſſimoque animo ac corde complectar. Hic eſt ille cibus, quem diſcipulis tuis, prandium afferentibus, dixiſti te habere, quem ederes. Cibum habeo manducare, quem vos neſcitis; ſcilicet, æternam mulieris illius Samaritanæ ſalutem; neque, omnium noſtrum, ſalutis ac felicitatis minus es avidus, neque alio magis cibo famem explere, qua premeris, cupis. Veni igitur, Domine, veni; jam domi meæ fores tibi patebunt, ſi veneris; nec eas erit neceſſe pulſare, nec me ab oſtio vocare. expectans expecto te; geſtio tecto excipere; aveo tibi hoſpitium præbere, cœnam dare; cupio illud ex te audire, Hodie ſalus huic domui facta eſt.

CAPVT

CAPVT IV.

SEd quid loquor ineptus? quid blatero? Egone mentionem domus facere audeo, qui jampridem, per ſummum ſcelus ſummumque flagitium, extuli domo mea ac patria pedem? tum videlicet, cum, accepta portione quæ me contingebat, te, patre meo, ſpreto atque contemto, cujus nunc me pudet, regiones remotiſſimas ſum perſecutus; ubi etiam, quæ mecum attuleram, luxurioſe vivendo, conſumſi ac perdidi; quibus in regionibus, cum facta eſſet fames magna, neque eſſet unde vitam ſuſtentarem, (nam libidines totum abſumpſerant,) ſævo & agreſti domino locavi operas meas, vel potius me in ſervitutem addixi; qui ſuos mihi porcos paſcendos curandoſque commiſit: verum, adeo mihi ſevere & crudeliter imperatum ab eo eſt, ut fame enecto, ſiliquæ, quibus ſe porci implebant, denegarentur. itaque, tum præſenti inopia, tum recordatione veteris rerum omnium bonarum copiæ, qua domi apud te, cui minus eram obſequens, affluebam, (nam, tum noſtra intelligimus bona, cum amiſimus,) in me reverſus, hanc habere orationem cœpi: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! ſurgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Fac me, ſicut unum de mercenariis tuis. Sed, quod antea elocutus ſum verbis, factis nunc impleo. ecce, me tibi ſiſto, ſupplex ad pedes accido, in hæc verba prorumpo: Pater, peccavi in cælum & coram te; ſed, per hæc genua, quibus advolvor, oro atque obſecro, non quidem, ut me in veterem filii tui locum reſtituas; non enim ſum dignus vocari filius tuus: non ut me, delicatum, ut antea, habeas; nil enim ſuave meritus ſum; ſed, ut ad numerum mercenariorum tuorum adſcribas. At fortaſſe, ac merito quidem, nec inficior, inquies: Peſſime, quoties tuorum tibi delictorum gratiam feci? quoties iis, quibus te implicaveras, culpis exſolvi? tu vero nihilo minus in idem te lutum projeciſti, in eoſdem laqueos induiſti. Vera loqueris, Domine; negare non audeo.: ſed,

ſed, obſecro te, reminiſcere, quod Petro interroganti, quoties, erranti, peccata dimitteret, num ſepties, reſpondiſti: Non dico, tibi, ſepties, ſed ſeptuagies ſepties. Fac ergo, juſtificeris in ſermonibus tuis, &, quam Petro manſuetudinem & clementiam indixiſti, eandem tu ipſe mecum exerceas, eoque magis, quod plerunque in lutum, unde me extraxeras, incidi, in laqueos, unde me exueras, indui, non tam volens, quam invitus. Scio, me rem incredibilem loqui. quis enim, niſi ſua voluntate, ſceleris flagitiique ſe alliget! & quænam eſt vis tanta, quæ liberæ hominum voluntati poſſit obſiſtere? ſunt iſta; veruntamen, cum vellem à peccatis recedere, prava conſuetudo, cui aſſueveram, non ſinebat, ſed invitum quodammodo ſibi obtemperare cogebat. Peccandi conſuetudo quantam vim habet! quoties, cum aliqua res, ſuavis ad ſenſum atque jucunda, ſed legi tuæ repugnans, ſe mihi offerret, ac vellem ab ea deflectere, uſus conſuetudoque me flentem ad eam, ac recuſanti ſimilem, impulit, ejuſque in complexum injecit! itaque, quod vix credibile videatur, inveniebar in voluptate miſer, atque in lætitia triſtis. Præterea, tempus, occaſio, adoleſcentia, amici, ac naturæ ipſius imbecillitas, tanquam flatus aliqui vehementes, meam ratim ad nequitiam impulerunt. Tu ſcis, Domine, infirmitatem meam, & laborem meum, & quam propenſi ſint ſenſus hominis, ab adoleſcentia ſua, ad malum; cui propenſioni, ſi vis aliqua exterior accedat, quid niſi caſus ac ruina conſequatur! Me miſerum, qui propria nequitia ſum tibi factus improbior; miſeriorem, quod, alienis vitiis atque peccatis, ſæpius quam volueram, eandem in foveam recidi.

CAPVT V.

OBſecro, Domine, ſi me vis vivum, ſi me vis ſalvum; nam omnes homines vis fieri ſalvos ac vivere; remove à me hanc vim, omnes me ad nequitiam impellentium atque attrahentium impetus frange: tum tibi filius obſequens adero, tum in via mandatorum tuorum, grallatorio, ut dicitur, gradu percur-

percurrens, ſine caſu ac prolapſione metam, ad quam eſt decurrendum, attingam. vel pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me. Erit ne illa dies, cum tu univerſa mihi adverſantia propitiatus excludes? illa ne feſta lux aderit, cum tu, placatus, mihi peregre redeunti, obviam venies, meumque in complexum præ gaudio prorues, cum ſtolam primam afferri, eamque commutari cum meis ſordibus, juſſeris, cum vitulum ſaginatum occidi, & cœnam viaticam dari imperabis cum cantu & ſymphonia, cum rurſus annulum, ingenuitatis inſigne, proferri ac digitis meis inſeri mandabis? Fremant licet ii, qui tibi ſemper dicto audientes fuerunt; ferant indigne, querantur, doleant, ſi placet, ſe nunquam à te, ne hædum quidem, obtinuiſſe, quod cum æqualibus ſuis epularentur, mihi autem, qui bona obligurierim mea, cujus, ad meritrices, res omnis, una cum boni nominis fama, exulatum abierit, vitulum ſaginatum occiſum eſſe, & culpam quodammodo in bonum fuiſſe converſam. nam tu defenſionem meam ſuſcipies, ac dices: Filii, vos mecum ſemper eſtis; & omnia mea veſtra ſunt; epulari autem & gaudere oportebat, quia frater veſter hic mortuus erat & revixit, perierat & inventus eſt.

CAPVT VI.

IAm dudum, infelix ego homo, effundo in conſpectu tuo orationem meam; jam dudum, multis cum lacrimis, majeſtatem tuam ſuppliciter deprecor: at vereor, ne, offenſus multitudine iniquitatum mearum, & intolerabili earundem fœditate commotus, avertas faciem tuam à me, & deprecationem meam ne deſpicias. Veniunt mihi in mentem verba illa cæci nati, cujus tu oculos, ad aſpiciendam lucem, aperuiſti; horribilem mihi terrorem incutit, omnem propemodum ſalutis ſpem adimit, illa ab eo dicta ſententia: Deus peccatores non audit. quæ ſi vera eſt, neque aliam interpretationem, longe ab eo, quod ſonet, alienam, admittat, nulla prorſus vis, nullum pondus, ad impetrandum, in eorum precibus inerit, quos, ob ſcelera atque

peccata,

evaſit. Quamobrem arbitror, verba illa cæci nati de aliquo alio poſtulato intelligenda eſſe, ut dixi, quod, à peccatoribus editum, à te repellatur ac rejiciatur, non autem de eo, quo quis, ut ſui miſerearis. ut ſibi ignoſcas, ut ſis propitius, efflagitat. Quod ſi ille, id quoque poſtulati genus ſuis verbis contineri, defendat, falſus eſt, decipitur, errat. nec mirum; nondum enim fidelis, ne ſuſpicione quidem aſſequi pôterat, quam benigna ſit miſericordia tua, Domine, & quam præſtabilis ſuper malitia. Vnus me adhuc ſcrupulus pungit, cruciat, lacerat; quod vereor, ne in eorum peccantium numero comprehendar, quibus, eo quod divitias miſericordiæ tuæ contemſerint, Clamabitis, inquis, & non exaudiam, invocabitis me, & non reſpondebo vobis.

CAPVT. VII.

QVod ſi ita eſt, quid faciam miſer? quo confugiam? quem adibo? cujus opem implorabo? Deſpondebo ne animum? minime; ſed fugiam ad id, quod tu ipſe fateris valere apud te plurimum; nimirum ad perſeverentiam aſſiduitatemque orandi. non defatigabor, non quieſcam; expulſus, ejectus, non cedam; ſed pergam pulſare, inſtare, urgere, precari, ut admittar, ut excipiar; faciam id, quod ille, qui, nocte intempeſta, repentino hoſpitis adventu oppreſſus, ad ædes vicini ſe confert, fores pulſat, orat atque obſecrat, ut ſibi panes accommodet, quos hoſpiti in cœnam apponat. ille primo, arcte implicitus ſomno, non commovetur, non audit; tum, ſtrepitu & clamore excitatus, iraſcitur, abire illum jubet; ſe iſſe cubitum, clamat, nec velle conſurgere; poſtremo, cum ille foris perſeveret clamare, preces precibus addere, ac maxima vi, ne inanis dimittatur, exorare, tandem, qui lecto ſe continebat, odio & importunitate victus, exſurgit, domum aperit, ac, ſi non propter amicitiam, attamen propter improbitatem, panes petenti, quotquot ille poſcit, accommodat. Quæ igitur improbitas te mihi, panem Angelorum, panem vivum, panem de cælo delapſum, eripit, eadem, non in vitiis, ut antea, perſequendis,

dis, adhibita, ſed in te querendo, poſtulando, ſummoque cum ſtudio & aſſiduitate expetendo, conſumta, reſtituet.

CAPVT VIII.

SEd forſitan ingrati mei animi vitium eatenus progreſſum eſt, ut à te audiri non merear, ut tundendo atque odio non poſſim perficere, ut ſurgas, & panes, quibus indigeo, proferas, mihique accommodes. quid reliquum eſt igitur, niſi ut aliquem mihi patronum & advocatum adoptem, qui meam cauſam patrociniumque ſuſcipiat? Sed quem nam potiſſimum eligam, niſi eam, qua poſtulante, peccatores omnes vincere ſolent? quem nam potius ſumam, quam eam, cui tu nihil unquam, deprecanti, denegare audes, beatiſſimam ſcilicet Virginem, matrem tuam? Hanc mihi exquiſivi patronam, jam inde uſque ab ineunte ætate. vix poteram prima verba exprimere, cum ejus me tutelæ patrocinioque commiſi. nullus unquam fere dies abiit, quo die non enixe ab ea rogaverim, ut in ſupremo illo horribilique judicio, in quo omnia mea dictá & facta, non populari quadam trutina, ſed artificis ſtatera, examinabuntur, mihi advocata eſſe meminiſſet. Virgo beatiſſima, refugium peccatorum, conſolatrix afflictorum, (liceat nunc mihi paululum orationem ad eam convertere,) Virgo, inquam, dulciſſima; quamvis injuriæ, Filio tuo illatæ, in te quodammodo redundare videantur, propterea quia mater es; quamvis, in illius contumelia, te eſſe deſpectam, negari non poſſit; tamen, quia, ob amorem ſummum & ſingularem quo omnes homines complecteris, te eſſe immemorem injuriarum, & acerrimam illorum patronam, non obſcuris & incertis ſed clariſſimis certiſſimiſque argumentis oſtendiſti; ecce ego peccator, in primis improbiſſimus, ad te venio, tuam fidem imploro, in ſinum miſericordiæ tuæ confugio, omnes in te ſpes meas cogitationeſque rejicio. ſi cauſæ deſperatæ ac perditæ præſertim patroni induſtriam artificiumque demonſtrant, reum magis accuſatum, magis evictum, magis æterno ſupplicio

ſupplicio dignum, me ipſo, habere non pores; tum profectо oſtendes, quantum opibus, quantum artificio, quantum gratia polleas, ſi me, patrocinio tuo, afflictum recreaveris, jacentem erexeris, damnatum judicis ſeveritati ſubtraxeris.

CAPVT IX.

ADhuc autem, Virgo ſanctiſſima ac beatiſſima, precibus ac lacrimis, tanquam machinatione aliqua adhibita, tuam à te opem auxiliumque expugnare contendo. Sed, quid ſi illud meo à te jure mihi liceat exigere? vide quo progrediar; vide quid eloquar; niſi mihi ſit aliquid in te opis, prope dixerim te ab jure, ab æquitate, ab officio, diſceſſuram, neque quidquam obſtare, quo minus, actione ingrati, tecum experiar. Vnde, obſecro, tibi ortum, niſi à me, eſt, ut Dei mater efficereris? fuiſſes quantumvis humilis, quantumvis pudica, quantumvis prudens, quamvis omnium virtutum laude præcellentiſſima; nihil hæc tibi, tantum ad honorem, ſuffragata eſſent. niſi enim peccata & ſcelera mea fuiſſent, nunquam Deus, Dei Filius, de ſinu Patris, in uterum tuum deſcendiſſet; nunquam in has mortalitatis noſtræ miſerias irruiſſet. Etenim, ſine me peccatore, quid opus fuiſſet redemtore? ſine me ægrotante, quid opus fuiſſet medico viſitante atque curante? grati igitur animi ratio exigit à te, ut, quo peccante, Dei matris honore ac nomine gaudes, eodem etiam pœnitentiam agente, patronæ ejuſdem munere fungaris. quod ſi ſecus egeris, vix poteris, ut dixi, animi parum grati parumque benevolentis ſuſpicionem ac notam effugere; quorum utrumque abeſt à caritate & conſuetudine tua longiſſime. at, ſi mihi diligenter advocata eſſe memineris, non ſolum, (pace tua dixerim) officium tuum feceris, ſed magnam ab Angelis quoque gratiam inieris; ad quos, ut Filius tuus, qui eſt veritas ipſa, teſtatur, ex uno peccatore, pœnitentiam agente, ingens lætitia permanat. Ne, quæſo, me deferendo, hanc illis voluptatem eripias; patere, ad ſummum illorum æternumque gaudium, quo in cælo fruuntur, hunc etiam lætitiæ cumulum accedere.

CAPVT X.

EIa age, beatiſſima Virgo, da mihi, viciſſim, & illis hanc operam; mihi, ut veniam impetrem; illis, ut, ex mea converſione ad Deum, novæ lætandi cauſæ ſuppeditentur. Neque tibi Ieſus meus, filius tuus, non poterit, pro me roganti, tuis ſtudiis obſequi. Etenim eidem omnis præciſa eſt ratio recuſandi. quid enim poterit dicere, plura eſſe peccata mea, quam ut eorum numerus poſſit iniri? at longe major eſt numerus miſericordiarum ſuarum, quam iniquitatum mearum; & gravius peccavit Cain, ob id quod dixerat: Major eſt iniquitas mea quam ut veniam merear; quum fraterna cæde ſe inquinaſſet. num aperte, & ſine ulla circuitione, reſpondebit, ſe nolle mihi ignoſcere? an contra pollicitationem ſuam venire ſuſtinebit, qui toties, in ſacris literis, per os Prophetarum ſuorum, locutus eſt, ſimul ac peccator, tactus dolore cordis intrinſecus, unam ex oculis lacrimulam expreſſerit, vel gemitum vel ſuſpirium attraxerit, ſtatim ſe omnia illius peccata in oblivionem adducturum, ac, ſi ea fuerint ſicut coccinum, vel rubra ſicut vermiculus, fore ut ſtatim nivis candorem & albedinem contrahant? ubi eſt ergo fides? ubi dictorum factorumque conſtantia? num peccandi occaſiones afferet, quæ circa me ſunt, quibus, vel leviter oppugnatus, manum dabo, & ad ingenium, ut antea, redibo? at eæ invitum me adeunt, circumſtant, urgent, impellunt, ac vexant; & tu mihi ipſa teſtis eſſe locupletiſſima potes, ut omnibus horis nihil à te impenſius efflagitem, quam ut ea omnia propulſanda ac removenda procures, quæ meum ab illo animum nitantur abducere, & in ſeſe traducere; &, ſi, me illi ab eiſdem infeſtum & ſolicitum haberi, magis placeat, te orante, perficias, ut mihi auxilio veniat, mecum pugnet, omneſque eorum impetus ſua virtute contundat. nam, quid ipſi poſſimus, quid valeamus, novit ipſe, qui dixit: Sine me nihil poteſtis facere. quod ſi me, undique validiſſimis obſeſſum hoſtibus, deſerat, ſi penè ſolum in acie relinquat, ſi iis tantum

tum præſidiis munitum quæ nemini denegantur, quæ ſunt omnium communia, iiſque ſpoliatum quæ ſint validiſſima, quibuſque inexpugnabilis reddar, hoſtium eorundem conatibus patiatur obſiſtere, cum nihilo minus in eorum poteſtatem, virium mearum infirmitate, ſim venturus; quid nam aliud videtur dicere, niſi; Homuncionem hunc rebellem ac perfidum inſequor, odio habeo, exſtinctum eſſe cupio? Iuſte ille quidem, juſte; nam ita mea ferunt merita; ſed non benigne; quoniam aliter miſericordiæ ipſius ratio depoſcit.

CAPVT XI.

SVme igitur, Virgo dulciſſima, Virgo mitiſſima, Virgo miſericordiſſima, benevolum erga me animum; eſto in auxilium mihi; impetra gementi, ſuſpiranti, ejulanti, ac pœnitenti, veniam & ſalutem à Domino Deo meo & filio tuo. ne timeas Maria; accede audacter ad eum; impetrabis, mihi crede, quia venit tempus miſerendi ejus, quia venit tempus. Etenim apparuit humanitas & benignitas Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti omnibus hominibus, jacens in præſepio, recumbens in fœno, uberibus tuis inhians, ad mendicitatem adductus ille, qui cæleſtibus æterniſque divitiis afflueret. ſuſtinebit ne, tibi petenti denegare aliquid ille, cui tu alimenta præbes, cui omnia, ad vitæ uſum neceſſaria, ſuppeditas? non ne totus in poteſtate tua futurus eſt ille, quem pannis implicas, faſciis involvis, amplexibus obligas? Quin ego meis quoque officiis beneficiiſque eum mihi devinciam. nam, ſi tibi videbitur, ſi uſus veniat, ſi ſola non ſufficis, ſuccedam in partem laboris ac muneris, omneſque accurati diligentiſque ſervuli partes obibo; &, ſi nihil aliud, ſaltem, ſi, ob ſummam paupertatem tuam, te ignis & aqua deficiant, calidum, meis ex lacrimis, infanti puero, lavacrum expediam, quo, anni tempore frigidiſſimo gelidus, lavet. At vide, quonam me cupidum quaſi ſecundus optimæ ſpei flatus impellat. fortaſſe hoc beneficio victus, quo nihil ipſi præſtari neque gratius neque jucundius poteſt, illa mihi dulciſſima & optatiſ-

ſima verba in aurem mei cordis immittet: Remittuntur tibi peccata tua; vade in pace.

CAPVT XII.

O Bone Ieſu, ô miſericors Ieſu; ſi verba iſta dulciſſima mihi unquam ad aures cordis acciderent, quam hilaris & exultans, in illa altera prorumperem: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum, in pace. nam, quid mihi opus eſſet hac exigua ac miſera vita, illa beata ac ſempiterna donato? Quod ſi videns fortaſſe aliquis ex eorum numero qui uſque ab aurora, hoc eſt, ab ineunte ætate, conducti in vineam tuam, ſtrenue in ea opus fecerunt, indigne patiatur, mihi litem intendat, temporis brevitatem objiciat, iniquitatem opponat, quod nimirum, laboris atque operis magnitudine tanto ipſis inferior, æquo ac pari cum ipſis jure habear in mercede ac præmio, qui ſuſtinuerint pondus diei & æſtus; at tu, benignus ac miſericors, hac eum oratione rejicies: Volo & huic noviſſimo dare ſicut & tibi; nonne licet mihi, quod volo, facere? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Potes etiam, Domine, tetrico illi orationem eripere, ſi libeat, hoc modo; ſi mihi videlicet tribuas, ut, quod reliquum eſt vitæ, quod video quam ſit exiguum, ita ad te referam, & in tuis juſſis mandatiſque perſequendis ita conſumam, ut induſtria, aſſiduitate ſtudioque, longam, ſed remiſſam, multorum operam diligentiamque præcurram: tum enim non erit, quod quiſquam queri poſſit, nec ad priorem illam adverſum me accuſationem accurrere, qua, deteriorem meam cauſam ſe eſſe facturum, exiſtimabat. quandoquidem, in tribuendis præmiis, ac mercede ſolvenda, non tam habetur temporis ratio, quam operæ.

CAPVT XIII.

O Bone Ieſu, ô dulcis Ieſu, ô ſuavis ac mitis Ieſu; propter bonitatem ac miſericordiam tuam, propter amorem tuum, memento mei tu; auribus

ribus percipe obſecrationem meam; & fac mecum, non ſecundum merita mea, ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam; tribulationes cordis mei innoteſcant apud te; euntes mihi ubertim ab oculis lacrimas aſpice; ac memor eſto verbi tui, ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. quid enim frequentius loqueris, quid ſæpius exclamas, quid uberius inculcas, quam ex peccatorum lacrimis, ſuſpiriis, atque gemitibus, te in oblivionem eorundem delictorum eſſe venturum? Quod ſi rurſus ad illud res redeat de quo dictum eſt antea, nempe, delicta mea ad eum eſſe perducta locum, ut mihi propemodum ſalutis ac veniæ ſpes omnis occiderit; attamen animo non deficiam, non deterrebor, non quieſcam; ſed pergam clamare; obſecrare, ac dicere: Major eſt miſericordia tua, quam iniquitas mea; cur igitur ea, à peccatis meis ſe vinci, patiatur? Neque verebor, ne, eadem ſæpius repetendo, tibi moleſtus interveniam; nam video, in petitione beneficiorum atque gratiarum, plus apud te flagitatores aſſiduos, importunos, odioſos, quam lentos, timidos, oſcitanteſque, valere. Deinde, fac, obſecro, tibi veniat in mentem, quamquam monitore non eges, in hac mea cauſa, ſi ea me contingat excidere, periclitari quodammodo exiſtimationem & honorem tuum, cujus ſtudioſus es adeo & avarus, ut eum te nemini eſſe conceſſurum affirmes. Honorem enim, inquis, meum nemini dabo. Millies pollicitus es, (dicam enim ſæpius,) & fidem in eo tuam interpoſuiſti, eos te è reis exemturum, & filiorum loco ac numero habiturum, quos peccatorum ſuorum maxime pœnitere & miſericordiam tuam implorare contingat. ſi nunc nihil mihi dolor, nihil lacrimæ, ad impetrandam à te peccatorum meorum veniam proſint, ſi ab illis miſericordia tua victa diſcedat, ubi eſt fides tua, in qua ſervanda, hominum præſertim exiſtimatio decuſque contineatur? Poſtremo, (vide, quo me ſtudium in te meum atque ardor impellat,) ante tribunal tuum, coram Sanctis atque Angelis tuis, perſancte affirmo; quod ſi propoſitum eſt tibi, me à te rejicere, mihi propoſitum eſſe, à tuis veſtigiis ne digitum quidem abire; ſi tibi eſt in animo,

odio me perſequi, mihi fixum eſſe, inexplicabili te amoris nexu complecti; ſi tibi deliberatum eſt, me damnare, mihi quoque deliberatum eſſe, millies antea mortem oppetere, quam quidquam in te peccare; ſi tibi ſtatutum eſt, me non audire, mihi decretum eſſe, tibi ſervire. ejuſmodi enim ſunt tua immortalia atque divina in me merita, ut, quamvis omnibus à te damnis, contumeliis, atque ſuppliciis afficiar, omnem tibi tamen amorem, benevolentiam, & obſequium, præſtare compellar. Fiat igitur voluntas tua, Domine. Vnam peto à te, & hanc requiram; videlicet, quocunque in loco me eſſe juſſeris, ſive in cælo, ſive in terra, ſive in ultimis inferorum finibus, ut te amem, diligam, laudem; cui omnis amor, dilectio, laus, honor, cultuſque, debetur in ſecula ſeculorum. Amen.

IANI NICII
ERYTHRÆI
PARADOXA
CHRISTIANA.

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo

DOMINO

FABIO CHISIO,

Sedis Apoſtolicæ apud Vbios Nuncio,

IANVS NICIVS ERITHRÆVS.

FAlſo queritur de divinis præceptis, nobis à Chriſto in Euangelio traditis, genus humanum, immo inſignem cæleſti illi magiſtro injuriam ac contumeliam, ut mihi videtur, infert, quod ipſi, non ſolum aſpera, dura, ac difficilia, verum etiam intolerabilia, minimeque ad infirmas & imbecilles naturæ humanæ vires apta, quæ ab eo jubeantur, eſſe contendat. Etenim ſuaviſſimo, mitiſſimo, amantiſſimoque Deo ſævam & immanem crudeliſſimi tyranni perſonam imponit, quod illud legis graviſſimæ jugum cervicibus ſuis eum dicat injicere, ut ejus oneri ſibi ſit neceſſe ſuccumbere: at ille contra, eam ſuo huic ſive jugo ſive oneri, clamat, ſuavitatem ac levitatem ineſſe, ut nullum aliud levamen, nullum aliud ſolatium, nulla alia voluptas, ad recreandas reficiendaſque, ingenti aliquo oppreſſas pondere, vires, inveniri major atque præſtantior poſſit. Venite, ait, ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Age vero, ſuaviſſime Domine; dic, quæ oporteat nos facere, ut ejus, quo premimur, laboris atque oneris moleſtia levemur. Tollite jugum meum ſuper vos; jugum enim meum

ſuave

ſuave eſt, & onus meum leve. Rem miram. quiſnam putaſſet unquam, aut eſſet auſus dicere, onus onere levari, aut jugum altero ſuſcepto jugo leniri? Verum, hanc vulgi de Chriſti præceptorum gravitate querelam nullis veritatis radicibus niti, ſæpenumero idemmet vulgus oſtendit, cum majora & graviora ſibi imperet, quam lex Dei præcipiat. Jubet Chriſtus, ut nihilo alterum quiſquam, quam ſeſe, plus diligat; ſed accidit ſæpe, ut longe majore quiſpiam amicitia & caritate alterum comprehendat, quam ſe ipſe complectatur. quam multi ſunt, qui omnem de ſe amorem ejiciunt, & in eam, quam diligunt, miſere & impenſe transfundunt! quam multi, ut aliorum rem augeant, ſe fundis & familiis evertunt! quam multi, ubi animus cupiditate ſe devinxit mala, vitam, ſalutem, & pecuniam omnem produnt, ut aliorum ſtudiis obſequantur! quam multi, id quod deterius eſt, quo aliis placeant, illorum cupiditatibus æternas animæ ſuæ rationes poſtpoſitas habent! quam multi, id quod minime præcipit Chriſtus, amici cujuſpiam cauſa, innumeris ſeſe implicant difficultatibus ac periculis, unde expedire ſe nequeant! quam multi, ſummo genere orti, ingenio, doctrina & eruditione præditi, quo ad aliquem honoris locum numerumque perveniant, ab indigniſſimis hominibus magnas verborum contumelias taciti ferunt, inſigneſque injurias muſſitant, tum longiſſima itinera, anni etiam tempore adverſo, ſuſcipiunt, innumeris ſeſe periculis exponunt, cum dormiendi libido cepit, vigilias agunt, famem, ſitim, frigus & laſſitudinem non reformidant; at ubi de prætermittendis voluptatibus, de condonandis injuriis, de levi quopiam dolore, vel de aliquo in re familiari damno, æquo animo ferendo, Chriſti cauſa, præcipitur, onus Ætna gravius ſibi imponi queruntur! Hoc adeo fit, quia plerique de re ſibi minus cognita minuſque perſpecta judicare, deque ea audent antea ſtatuere, quam intelligant, quid ſit in cauſa boni malique.

malique. At David Rex, qui uſu & experientia didicerat, quanta ſit in hoc Deo, quem fere omnes, ut aſperum, durum, acerbum, intolerandumque, cavillantur, comitas, lenitas, ſuavitas, atque humanitas, nos vocat, admonet, hortatur, ut opinioni huic noſtræ non prius aſſentiamur, quam palato, ut ita dicam, cordis noſtri, cujus ille ſaporis ſit, experiamur. Vt mihi, ait, credatis, non poſtulo; ut mihi fidem habeatis, non quæro; ſed tantum, ut deguſtetis, efflagito, ac voſmet ipſi experiamini, quanta in Deo ſuavitas, dulcedo, amœnitaſque reſideat. Guſtate, inquit, & videte, quam ſuavis eſt Dominus. Quamobrem operæ precium me eſſe facturum exiſtimavi, ſi paucarum quarundam capita rerum colligerem, quæ præ ceteris incredibilia atque horribilia vulgus exiſtimat, eaque non ſolum probabilia, verum etiam ſuavia, & in primis expetenda eſſe, pro ea, quæ eſt in me, dicendi facultate, convincerem; magis id adeo, ut, ſi quando pulcritudines ac ſuavitates rerum ſuas meis oculis atque auribus illecebras, ad me decipiendum, objiciant, parata ſemper habeam arma, quibus vel ipſe tectus eſſe poſſim, vel earundem etiam impetus fortiter excipere, ac tela retundere, quam ut ea aliis eſſe uſui poſſe credam; quod hæc quotidie, à ſummis rerum divinarum interpretibus, majori eloquentia atque doctrina, quam ea quæ in me eſt, in templis de loco ſuperiori diſputantur agitanturque. Hæc tibi dicare, mihi conſilium fuit; tum, ut tuis erga me meritis, quacunque poſſim ratione, reſpondeam; tum ut, ſi meliora iis, quæ à me afferuntur, habeas, ea mihi, pro tua ſingulari humanitate atque ſapientia, non graveris ſuppeditare. Vale. Romæ, iij Idus Iunii CIↃ IↃC XLVII.

PARA-

PARADOXVM PRIMVM.

Nuſquam, niſi in Cruce Chriſti, veram gloriam inveniri.

HOc Chriſtianum paradoxum, quod primum omnium mihi venit in mentem, omnium eſt, ni fallor, vel maximum, &, ſi cum hominibus à religione noſtra alienis agatur, difficillimum ad probandum, vel potius quod rationem nullam propemodum habeat, quæ eos ad credendum impellat; nam prædicamus, ut inquit Apoſtolus, Chriſtum crucifixum, gentibus ſtultitiam. ſed, quemadmodum idem Apoſtolus docet, certiſſimum ac veriſſimum eſt, omnem noſtram gloriam in Chriſti cruce poſitam eſſe. Ac videri iis poſſit, qui rem non altius introſpiciant, Apoſtolum, non ſolum res varias adnectere, verum etiam diverſas atque inter ſe diſcrepantes adjungere. quid enim eſt tam contrarium Cruci, quam gloria? quid luctui tam repugnans, quam gaudium? quid tam alienum ab humilitate Crucis, quam ſummum regni faſtigium? quæ quidem res, tam longo intervallo inter ſe disjunctæ, quam abſurde, quam inepte componantur, audientium olim reclamatio ac murmur oſtendit; namque idemmet Paulus, dum maxime ea doceret, aliis irriſione, aliis ſupplicio dignus videbatur, quod ea afferret, in quibus graviter Judæi offenderentur, genteſque ſtultitiæ notam eidem infamiamque conflarent. etenim ſtultitiæ non mediocris videbatur eſſe, velle ea probari in populis ac civitatibus, quæ non modo communi hominum ſententiæ repugnent, verum etiam, ſenſuum judicio, explodantur ac rejiciantur. Fuerunt, inter veteres ſapientes, de ſummo bono, variæ multumque inter ſe diſſidentes diſcrepanteſque ſententiæ: nam alius alia in re felicitatem ſitam eſſe docebat: qui autem in cruciatu lætitiam, in infamia decus, in cruce gloriam collocaret,

quod

quod ſciam, tam aſper ac durus inventus eſt nemo; ac, ſi quiſpiam conatus eſſet, eas res, maxime inter ſe repugnantes, dicendi facultate conjungere, ſolus relictus in ſchola fuiſſet. Verum nihil eſt Pauli doctrina verius, nihil Pauli ſententia divinius. etenim, tantum quis diſtat à gloria, quantum abeſt à cruce. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. hoc eſt, ceteri tabernaculum gloriæ ibi conſtitutum habeant, ubi honor aliquis ſplendeat; alii felicitatem ibi ſitam eſſe definiant, ubi divitiarum lumen eniteat, ubi voluptatum lenocinia mentes alliciant: hi enim totum ignorant iter felicitatis & gloriæ. at nos, edocti divinitus, eam laudis viam rectiſſimam eſſe ducamus, quæ Chriſti impreſſa veſtigiis appareat; eam felicitatis rationem certiſſimam eſſe conſtituamus, quæ Chriſti præceptis inſtitutiſque firmetur. Hæc autem eſt, Crucis dilectio, contumeliarum amor, hilaris ac promta egeſtatis, ægritudinis, animi corporiſque cruciatuum atque omnium calamitatum malorumque perpeſſio; extra quam viam Chriſtus ne veſtigium quidem unum defixit. Atqui, ſi in probationibus duo illa in primis valere traduntur, autoritas nimirum magiſtrorum ac pondus rationum; horum utrumque Crucis dignitatem atque præſtantiam mire commendat. Sed de rationum vi numeroque poſtea videbimus; nunc de autoritate, quæ ad faciendam fidem in magiſtris ineſt, paululum, cenſeo, dicamus. Itaque ad autoritatem quod attinet, adeo interdum dicentis gravitas poteſt, ut, quod ille ſimpliciter ac verbo poſuerit, id ſine ulla dubitatione veriſſimum eſſe credatur. id quod Pythagoræ contigiſſe traditur; cui tantus eſt honor à diſcipulis habitus, ut, quod ipſe dixiſſet, oraculi cujuſdam inſtar haberet, etiam ſi nullam ſui dicti rationem afferret. Quod de felicitate & gloria in Cruce collocanda præcipitur, ejuſmodi autore nititur atque magiſtro, qui autoritate atque ſapientia omnes, qui ſunt, fuerunt, atque futuri ſunt, omnium diſciplinarum Philoſophos vincat. atque hic eſt maximus ac præpotentiſſimus Deus, qui ſolus omnia, tum quæ oculis cernuntur, tum quæ ſunt ab aſpectus judicio

remota,

remota, conſtituit, qui ſolus rebus humanis recte ac fideliter conſulit, qui ſolus, quid cuique maxime expediat, intelligit. quamobrem, quidquid ille præcipiat, arripiendum eſt ſtatim, neque de ejuſdem veritate dubitandum. Sed (quod in autoribus laudandis eorumque autoritatibus amplectendis valere plurimum debet) quæ tantus hic magiſter ac Dominus docet, non ſatis habet, oratione ceteris tradere, ſed ea ipſe, ſumendo, ſibi antea fuiſſe perſuaſa demonſtrat. quid autem ejus oratione inveniri gravius poteſt, qui, quod aliis eſt autor ut faciant, ipſe prior aggreditur? Quid præcipit nobis Chriſtus ut faciamus? illud nimirum, ut paupertatem divitiis, dolorem voluptatibus, cruciatum regali faſtigio, anteponamus. num tantum verba attulit, rem ipſam opere factiſque non attigit? immo non ſolum omnibus verbo, verum etiam exemplo, præivit. Cogita paupertatem, quamvis gravem, cruciatum, quamvis acerbum, contumeliam, quamvis indignam; invenies, hæc omnia longo intervallo infra ea mala jacere, quæ exempli gratia in ſe Chriſtus attraxit. nam quæ poteſt dici vel excogitari paupertas gravior, quam in ſtabulo naſci, atque cum omnium rerum inopia, quæ ſint ad vitam neceſſariæ, conflictari! quis nam dolor ad ferendum acerbior fingi, quam verberibus ad necem cædi, quam cruci clavis affigi! quod dedecus turpius afferri, quam ad numerum latronum adſcribi, quam cum improbis hominibus miſerrimo ſervitutis ſupplicio mactari! hæc omnia Dominus gloriæ, per quem Reges regnant & Principes dominantur, divitiis, voluptatibus & honoribus repudiatis ac rejectis, amplexatus eſt. Quamobrem, ad autoritatem quod attinet, habemus, hæc mandantem ac præcipientem, Deum, amantiſſimum noſtri, optime conſulentem proſpicientemque rebus humanis, atque eadem hæc in ſe transferentem, quæ aliis eligenda ac retinenda mandavit. Itaque, ſi ad credendum, ſæpenumero, magis quam ratio, hominis ducit autoritas, huc, ubi Chriſtus eſt docens, ubi Deus eſt imperans, omnium debet aſſenſio totis viribus advolare. Verum ex hac mea diſputatione, qua, contumelias atque cruciatus,

ciatus, ex Chriſti autoritate atque exemplo, præ ceteris hujus vitæ bonis optandos eſſe, concludo, duplex oriri quæſtio poteſt: primum, ſi ea, quæ diximus, in rebus optimis ſunt habenda, ſi ultro etiam expetenda, cur idemmet Chriſtus, morti proximus, tantopere ea pertimuit? cur, ſola mortis cogitatione, eis in ſe formidinis fluctibus locum dedit, ut æſtuante, triſtitia metuque, animo, ſanguinei prope amnes toto è corpore oborti defluerent? conſtat, omnium confeſſione ſapientum, integros puroſque à ſcelere homines, quamvis urantur, ſecentur, quamvis in crucem agantur, eundem ſemper vultum, eandem hilaritatem lætitiamque præferre, ab animi rectitudine ductam. unde Pſalmographus hortatur eos, qui optimæ mentis conſcientia ſuſtentantur, ut ſe hilares lætoſque faciant, ac prorſus ab omni triſtitia animum avocent. Lætamini, inquit, in Domino & exultate juſti, & gloriamini omnes recti corde. cur igitur Chriſtus, quo nemo neque integrior neque ſanctior exſtitit, adeo hanc hilaritatem non retinuit, ut etiam ex ſola mortis cogitatione eam formidinem metumque admiſerit, quem facile mors conſequuta eſſet, niſi vires humanitatis aſſumtæ inferiores corroboraſſet ſuperior pars? deinde, ea amoris eſſe vis dicitur, ut eos, in quibus ſuam ille poteſtatem exerceat, audaces in periculis, fortes in laboribus, hilares in cruciatibus, amici gratia ſubeundis, efficiat. quod ſi verus eſt ille Chriſti in nos amor, omnium linguis, omnium literis, omnium ſermonibus celebratus, qua ille vi, quo impetu, quo ardore animi debuerat in eum cruciatum irrumpere, in quem ab amore actus impellebatur! Sed utrique argumento facile obſiſtitur. ac priori quidem ita occurritur; videlicet, non ex Chriſti corde minus recto, ſed ex noſtra, ut ita dicam, obliquitate, quam emendandam dirigendamque ſuſceperat, ortum eſſe ajo, ut cogitatione earum rerum, quæ ipſi perferendæ eſſent, tantopere commoveretur. culpas omnium hominum ad ſe receperat; & miraris, quod iis formidinis mœroriſque tempeſtatibus correptus fuerit, quæ non poſſunt eſſe à peccato ſejunctæ? neque ex hac Chriſti trepidatione concluditur, ejus in nos amorem

non

non eum fuiſſe, qui dicitur; ſed potius conficitur, eundem longe majorem extitiſſe, quam hominum ferat opinio. uter de te præclarius mereretur? ille ne, qui, nullo ſuo labore atque moleſtia, aliquo te beneficio afficeret atque ornaret? an is, qui illud idem in ſe difficulter operoſeque conferret? equidem illum, exiſtimo, ne comparandum quidem ad hunc eſſe. ita etiam longe melius de te meruit Chriſtus, cum, terroris mœrorisque vi oppugnatus, ne ſe ad mortem daret, eam tamen pro te alacriter ſubiit, quam ſi, nullam expertus perturbationum pugnam, voluptatem in moriendo ſenſiſſet. nam, quid nobis facit in amore omnes labores, quos capimus, leves, niſi incredibilis quædam voluptas, quæ amando percipitur? remove ab amore hanc voluptatem; jam omnis nobis labor difficilis, omnis dolor acerbus, omnis in eo cruciatus intolerabilis videatur neceſſe eſt. quod ſi quis, ab hoc voluptatis quaſi præſidio deſtitutus, nihilo minus omnes pro amico labores cruciatuſque ſuſtineat, hic profecto veri amici palmam obtineat. quam ſane palmam cunctis Chriſtus in amando præripuit. nam ab omni ſolatio nudus, irrumpentibus formidinis mœroriſque fluctibus, fixum illud pro nobis moriendi propoſitum, tanquam ſaxum, objecit, ad quod illi offenderent & comminuerentur. Atque hos ſibi Chriſtus amicos quærit, hos ſibi benevolentes efflagitat, qui, in perferendis pro ipſo laboribus, amoris oblectamenta non perſequantur; amatores autem conſolationum contemnit, atque inter amicos mercenarios fictoſque compellit. Quamobrem, ut eo, unde diſceſſimus, revertamur, anguſtiæ illæ animi, in quas ex triſtitia metuque compulſus eſt Chriſtus, cum ejus propoſitum quatere ac labefactare non potuerint, non modo infirmitatem aliquam amoris non arguunt, ſed infinitam caritatis vim ante oculos ſtatuunt. Sed quid Chriſti voluntatis, tanquam obſcura ea ſit, argumenta colligimus? nonne, quantum in Cruce boni, ad gloriam amplitudinemque, ſibi poſitum eſſet, oſtendit, cum crucis ſupplicio inhians, ſupplicibus ac demiſſis precibus Patrem oravit, ut clarum & illuſtre, apud omnes gentes, ſuum nomen efficeret? Clarifica me, inquit,

quit, Pater. Quid ais, bone Ieſu? contumeliarum dedecora, tormentorum acerbitates, crucis ignominiam, claritatis gloriæque nominibus afficis? atque inſtas, urges, ut tam turpibus ignominiarum notis, quaſi quibuſdam honorum inſignibus, quam primum orneris? Verum, in crucis dedecore Chriſtus adeo gloriæ ſuæ fundamenta poſita ac collocata habebat, uſque eo id ille ſibi pulcrum & glorioſum eſſe exiſtimabat quod aliis tetrum & horrendum videtur, ut etiam ſolio, quod ſibi ad dexteram Patris excitatum eſſe non ignorabat, judicio ſuo præferret. Hinc in cruce quum pateretur, ſuperior in ipſo pars anguſtias partis inferioris omnes pleniſſima charitate & gaudio ſuperavit. & erit quiſquam, qui tantæ autoritati reſiſtat? reperietur aliquis, qui divinæ ſapientiæ, in dijudicanda vera à ficta gloria, ſe audeat opponere? illud igitur iter gloriæ arripiamus, ad quod currendum, princeps ex omnibus Chriſtus exultavit ut gigas; eodemque ſpacio ſuis illum veſtigiis perſequamur, ne, cum tritam & vulgarem aliorum viam ingreſſi fuerimus, in dedecus incurramus ſempiternum. Iam vero tempus eſt, ut iis, qui in perſuaſionibus, rationum magis momentis quam hominum auctoritate, moventur, rationes aliquot objiciamus, quibus Chriſti crux, non modo non contumelioſa nec turpis, ſed etiam laudabilis & honeſta exiſtimetur. Ideo, adverſarii ajunt, minime ea multis probatur, quia res aſperas, indecoras, & à communi hominum ſenſu abhorrentes, amplectitur. at eaſdem res, illi ipſi qui damnant, eſſe poſſe, fatentur, cum ſumma laude & honeſtate conjunctas; ut non tanta ſit, inter ignominiam & gloriam, inter voluptatem & dolorem, quanta ipſis ſecum videatur eſſe, contentio. dicant, obſecro, an ſuavis res ſit, militem in caſtris eſſe, humi cubare, pernoctare ſub divo, ab hoſte vulnus accipere, fortiter dimicantem occumbere. reſpondeant, an ſit ponendum in rebus honeſtis, circum hoſtium caſtra raptari, uri, ſecari, interimi. profecto, adeo nullam rebus iſtis jucunditatem honeſtatemque ineſſe, contendent, ut eas etiam duras, odioſas, inhoneſtas, & intolerabiles eſſe affirment. at ſi ſtatim rogentur,

gentur, num eædem res, ob jusjurandum, ob fidem, vel ob jus ſuum retinendum, vel ob patriæ caritatem, graviter, conſtanter, ac fortiter toleratæ, calamitatem & infamiam irrogent, plane negabunt; quin nemo, ſtudioſus exiſtimationis bonæ, nemo paululum laudis gloriæque cupidus, reperietur, qui Decii exitum, qui ſolus ſe in hoſtium turmas immiſit armatus, vel M. Reguli, ob fidem conſervandam, laborioſam mortem jucundiſſimæ cuilibet vitæ non præferat; nemo ſanus exiſtet, qui unum diem in tormentis recte, honeſte, ac laudabiliter actum, peccanti immortalitati non anteponat. quomodo igitur, Chriſti crucem, horribilem & funeſtam, ob id ſolum, eſſe defendunt, quod referta ſit doloribus ac contumeliis, cum hæc eadem mala, fortiter excepta atque perpeſſa, æternam multis famam gloriamque pepererint? niſi ſi amor patriæ ac libertatis poteſt calamitates jucundas & glorioſas efficere, amor Chriſti & cæleſtis regni non poteſt. quod dici omnino non convenit. nam quo gravior ferendi doloris eſt cauſa, eo etiam eſt ejuſdem perpeſſio glorioſior. at quænam illuſtrior, quæ gravior, honeſtior, ferendi infortunii occaſio ſe dederit, quam Chriſtus, cujus divina in omnes homines merita, cuivis patriæ caritati, cuivis parentum neceſſitudini, longo intervallo præcurrunt! deinde, ſi omnium fere conſenſu, eo honoris dignitatiſque, crux Chriſti proceſſit, ut in Regum frontibus, ex auro gemmiſque perfecta, reſplendeat, cur dedecora, contumeliæ, atque cruciatus, qui non poſſunt eſſe ſejuncti, eatenus in hominum opinione eviluerunt, ut nihil illis indignius, nihil turpius, nihil odioſius exiſtimetur? ſi crucem, templis, aris, ſacerdote, veneramur, ſi in ædibus, in veſtibus, in ipſo diademate regio, honoris cauſa, defigimus, cur, in opinione noſtra, honore omni ſpoliamus? cur eandem ex animis, ex pectoribus, ex cordibus noſtris, per contumeliam, evellimus; nomen tantum & imaginem crucis retinemus, rem & ſignificationem ejuſdem repudiamus? num crucem exiſtimamus illud ſolum eſſe lignum, vel æs, vel aurum, vel argentum, unde conflatur? erramus atque decipimur. etenim major pars

ejus, iis rebus continetur, quas tantopere horremus atque refugimus: neque Chriſtus, cum dixit, Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me, intelligit, ut longam aliquam trabem, exceptam, collo ac cervicibus noſtris imponamus; ſed voluit, ut damna, dedecora, exilia, verbera, tormenta, cruciatus, falſas accuſationes, iniqua judicia, egeſtatem, inopiam, dolores, mortem, quæ omnia crucis nomine ſignificantur, amplectamur: neque B. Andreas Apoſtolus, ad crucis aſpectum exhilaratus, tam lignum illud, in quo tollendus erat, honorificentiſſimis verbis proſecutus eſt, quam ſupplicium quo erat afficiendus, mortem qua ſibi erat pereundum, ſummis illis laudibus extulit. Aut igitur res & ſententia crucis retinenda nobis eſt, aut etiam ejus vocabulum & imago rejicienda; ſiquidem nudum ejus nomen nihil nobis profuturum eſt ad ſalutem; quemadmodum nos ſapientiſſimis illis verbis cæleſtis magiſter admonuit, cum ait: Non omnis, qui dixerit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui fecerit voluntatem Patris mei. nam qui facit ſecus quam dicit, hic videtur fallere atque decipere. quid enim eſt fallere, niſi vultu ac ſignificatione aliquid cupere, re autem & factis illud odiſſe? quidnam eſt decipere, niſi verba ſectari, ſententiam autem verborum amittere? præterea, quis non debeat omnibus votis expetere, ut honoribus à Deo, quantum poteſt, maximis afficiatur? nam ſi honores, nobis ab hominibus habiti, tantopere jucundi ſunt; quales videri debeant ii, quos Deus attribuit? etenim, quæ proportio ſimilitudinis eſt inter Deum & homines, inter divinos honores & humanos? ſed non habet honores Deus neque celſiores neque clariores iis, quos ipſe ſibi elegit, quibuſque ſummopere delectatus eſt. hi autem ſunt, paupertates, ignominiæ, cruces, atque in ſocietatem horum honorum eos ſemper admiſit, quos dilexit ex omnibus plurimum. hac gloria ornavit primum Ioannem Baptiſtam, præcurſorem ſuum, quo inter natos mulierum major nemo ſurrexit; tum Apoſtolos, quos, orbis terræ Principes, ad propagandam Chriſtianæ religionis fidem

fidem elegit; poſtremo eos omnes, qnos habet uſu amicitiaque ſibi devinctos. neque alia fere nota amicus Chriſti ab amatore hujus mundi, niſi hac una, dignoſcitur, quod illi omnia fere ſemper adverſa contingant, cuncta huic proſpera & ad voluntatem euntia proveniant. Quid multis moror? non unus, non pauci, non plures; omnes, omnes, inquit Apoſtolus, qui pie, juſte, & caſte viventes, in hoc ſeculo, ſe ab improborum ſocietate abalienarunt, perſecutiones patiuntur. Quamobrem hoc? quia arctiſſimo neceſſitudinis vinculo cum Chriſto junguntur, ideo, tanquam illius amici, in partem ejuſdem honorum gloriæque vocantur. ut propterea, divinitus edocta, in natalitiis, Martyribus quibuſdam, dandis, illud Deo canat Eccleſia: Gloria & honore coronaſti eum Domine; vel illud alterum: Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. nimirum Rex regum Chriſtus, ea martyres ſuos corona donavit, qua ſuum ipſe caput condecoravit; eum illis ornatum attribuit, in quo ille conſpectus eſt, cum regale crucis ſolium, perpetuo regnaturus, aſcendit. Si quis Rex, honoris gratia, ſuum cuipiam veſtitum imponi, ſi diademate regio caput ejuſdem ornari juberet, profecto nihil reliquum eſſet, quo, in eo homine exornando, progredi ejus liberalitas poſſet. Notum eſt illud de Aſſuero Rege, qui nullam majorem habuit gratiam, quam Mardochæo, ob patefactam Bagathan & Thares eunuchorum conjurationem, referret, nihil honorificentius ad eundem cohoneſtandum invenit, quam ut ille, regio indutus ornatu, ac diademate redimitus regali, in equo circum compita ac plateas duceretur, ac primus de Principibus ac tyrannis, equum tenens, clamaret ac diceret, Sic honoratur, quem voluerit Rex honorare. ita etiam nihil tibi poteſt à Chriſto, vel ad exiſtimationem honeſtius, vel ad honorem gloriamque præclarius accidere, quam ſi in cælum aditus pateat cum iis ornamentorum inſignibus, quibus cum ille ad dexteram Patris acceſſit; quorum ornamentorum pulcritudine atque decore ità capti ſunt cælites, ut, ex admiratione, in eas voces erumperent: Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?

Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua. Hæc cum ſancti Martyres intelligerent. ſponte tyrannos adibant, eorum in ſe furorem concitabant, ultro in eam invidiæ flammam ſe conjiciebant, qua tum Eccleſia, recens nata, flagrabat. Quæ cum D. Franciſcus ſibi perſuaſiſſet, incredibili martyrii cupiditate exarſit; quam cum non poſſet explere, petebat à ſociis in beneficio & gratia, ut omni verborum contumelia laceraretur, ut eorum pedibus conculcaretur ac protereretur. At quonam, inquies, acerbitas, dolor, ac dedecus abierunt, ſi ea, Chriſto impellente, fugam à cruce corripuerunt? Hæ, ſi neſcis, in hujus vitæ voluptates, divitias, & honores, exulatum iverunt: quo fit, ut multi, hujus tamquam abitionis & fugæ ignari, ſæpe mirentur, quid ſit, quod aliqui, ſummis honoribus præditi, in maximis divitiis & honoribus poſiti, vitam quavis morte acerbiorem miſerioremque traducant, contra, quam plures, egeſtate & inopia affecti, contumeliis oppreſſi, hilaritate lætitiaque redundent. hoc autem accidit, quia, ut diximus, luctus, triſtitia & angores animi, à cruce depulſi, ad honores & voluptates ſe contulerunt, quarum voluptatum honorumque potiri qui poſtulant, incommoda doloreſque cum illis permiſtos excipiant oportet. Sed, ne erremus, hæc vacuitas à dolore, à luctu, ab ægritudine atque dedecore, illi tantum cruci contingit, cui nos cum Chriſto configimur; ea autem, quam nobis ambitio, libido, vel avaritia defixit, omnia ea mala retinet, quæ ſecum crux affert; hoc eſt, tantiſper malo affecti, voluptate, gaudio, lætitiaque complebimur, quoad ejus ferendi cauſa nobis eſt Chriſtus. quod ſi noſtræ nobis libidines crucem illam pepererunt, illico luctus, angores, ærumnæ, omniſque malorum quaſi progenies, uno eodemque fœtu proveniet. At multos, inquies, vides, in Chriſti cruce, ſqualidos, tenues, demiſſo vultu, infirmaque valetudine; contra fere omnes, in lætitia vivendi, pingues, nitidos, rectos, ac bene valentes; quod deberet eſſe ſecus, ſi in cruce hilaritas, & in voluptatibus mœror ac luctus inveniretur. Non eſt eundum inficias, inſuavitatem aliquam cruci & acerbitatem obtendi, voluptatibus autem ac divitiis nonnihil

nihil ſuavitatis ac jucunditatis aſpergi. nam, ſi illa omni prorſus aſperitate careret, nunquam profecto tot in ſe hominum odia converteret; neque, ſi iſthæc ab omni ſuavitate deſtituta jacerent, omnium fere in ſe ſtudium allicerent. ſed, tum aſperitas cruci, tum etiam jucunditas voluptatibus, extrinſecus advenit, atque omnis in hoc error verſatur, quod ex facie de unaquaque re homines judicant. Quamobrem vos, rerum omnium rudes, ego, doctus videlicet magiſter, admoneo; ne primo rerum aſpectu capiamini, circumſpicite unamquamque rem diligenter, denudate, detegite; invenietis enim, voluptati, ambitioni, intus hærente cruciatum, ſuavitatem foris advolvi, cruci vero, ſævientibus extrinſecus moleſtiis, veram penitus infixam atque inſitam eſſe lætitiam. Si, quem rigor febris invaſit, cubiculo, omni ex parte clauſo, teneri, lecto molliter ſtrato cubare, atque inſuper magnum veſtium acervum ferre conſpiceres, neque quidquam de febri cogitares, nunquam eum putares à frigore cruciari ac confici: contra, ſi alterum, unico tantum palliolo tectum, flantibus aquilonibus ſe objicientem, intuereris, eum, ſine dubio, vi frigoris geluque conſtrictum, rigere jurares. ſed longe ſecus accideret: nam miſero illi, incluſum venis rigorem debacchari, huic vero alteri externam vim frigoris ne minimum quidem obeſſe, conſtaret. nihilo minus, ſub precioſis veſtibus, ſub honorum inſignibus, ſub porrecta fronte riſuque, timoris horroriſque gelu occultatur; ſub nuditate autem, ſub honorum contemtu, ſub infirmo corpore, perpetua animi ſecuritas hilaritaſque concluditur. Sed, ne ſim longior, nolo in hac cauſa, tam probata, tam juſta, Chriſti autoritatem mihi quidquam prodeſſe; rationes, de quibus dixi, ſuffragari non poſtulo; aliquem tantum crucis uſum & experientiam efflagito; quæ ſi cui in experiendo intolerabilis & acerba videatur, continuo, ab eadem poterit curſum avertere, & ad voluptates omnibus, ut dicitur, velis remiſque contendere; ſin autem omni voluptate & gaudio referta invenietur, quid erit cauſæ, quo minus, ceteris hujus vitæ oblectamentis repudiatis atque contemtis, tantum, quantum

audet & quantum poteſt, ad eam perſequendam amplectendamque, ſe conferat?

PARADOXVM SECVNDVM.

Laborem quieti eſſe anteponendum.

EN tibi, Fabi ſapientiſſime, Paradoxum alterum Chriſtianum, illi; quod proxime ad te miſeram, ſimile, & quadam quaſi cognatione devinctum. illud, gloriam noſtram in cruce ſitam, neque uſpiam eam alias reperiri, demonſtrabat; hoc, laborem quieti præponendum, oſtendit. Dedit ſermoni anſam illa ſponſi gloriatio: Ego flos campi. cujus loci ſententia, ſi, ex Bernardi interpretatione, refutationem lectuli continet, quem ſponſa obtulerat; dixerat enim; Lectulus noſter floridus: facilis ejus erit explicatio. Etenim ſponſa, cum ad bonorum operum gloriam effloreſceret, perinde quaſi omnibus defuncta laboribus eſſet, animum ad otium quietemque retulerat; ſed ejuſmodi ſpem cogitationis ipſius, ſponſi haud mollis reſponſio fefellit. vocat illa ſponſum in lectulum & in domum ſuam; contra, trahit eam ſponſus in campum. domus eſt locus quietis & tranquillitatis; campus eſt ſpacium, ad labores & exercitationes corporum comparatum: thalamus culcitris plumeis ſternitur; campus culmis ſentibuſque totus obducitur. itaque illinc lectulus, floribus aſperſus, à ſponſa proponitur; hinc campus, ſpinis obſitus, à ſponſo laudatur. ſponſus nihil æque optat, ac laborem; ſponſa nihil cupidius appetit, quam ocium. ſed honeſtius & uſitatius eſt, ut ſponſa ad viri penates tranſeat, &, quemcunque ille thorum extruxerit, illa conſcendat, quam ut vir in ſponſæ lectum trahatur. hinc eſt, ut non ſolum jubeatur ſponſa in viri domum migrare, verum etiam obliviſci populum ſuum, & domum patris ſui. Sciat unuſquiſque, ſe habere animam ſuam, in matrimonio, Deo locatam; quamobrem, ſi cum eo cupit ætatem ſine querela tranſigere, illud habeat odio neceſſe eſt, à quo ſponſus abhorreat, illud amplectatur ac diligat, quod eſſe eidem

jucundum

jucundum intelligat. Id mali ſecum afferunt nuptiæ, id incommodi conjugium apportat, ut ſponſam viro propemodum in ſervitutem addicat. Et eris, inquit Deus Evæ, ſubjecta viro. non poteſt contrariis conjugum ſententiis, & diſſimilitudine ſtudiorum ac voluntatum, intercedente, pax inter ipſos ulla componi; immo magnæ ibi contentiones & diſſidia cooriantur neceſſe eſt, ubi uxor viro & vir uxori reſiſtit. & putat, futuram ſibi cum Chriſto pacem, qui diſtractione voluntatum ſtudiorumque fuerit ab eo ſejunctus, qui ſe ab ejuſdem ſimilitudine prorſus abſtraxerit? Iuſtificati ergo ex fide, inquit Apoſtolus, pacem habeamus ad Deum. Quid eſt, ô Paule, habere pacem ad Deum? Audi me, Leo ait Magnus, pro Paulo reſpondentem; eſt, velle quod ille jubeat, & nolle quod vetet. jam illi bellum indico, qui audeat contra Dei legem ac voluntatem venire; jam illi denuncio (ne hoc dicat ſibi non prædictum) quod divinæ particeps non erit pacis, cui ea placent quæ Deo diſplicent, & his appetit delectari quibus illum novit offendi. ſponſus injurias & contumelias fortiter appetit; ſponſa ſummum honoris & amplitudinis locum cupit inſcendere. ſponſus plagas, dolores, cruces, in ſe congerit; ſponſa, gaudia, voluptates, ac delicias colligit. utrum futura ſit pax inter eos, an ſumma diſcordia, non dico, ſed in cogitatione aliorum relinquo. atque adeo in viri poteſtate uxor eſt tota, ut, ſi quid etiam, à ſuis rationibus alienum, ab eo ſibi imperatum inveniat, nulla mora ſit, quin illi ad nutum præſto occurrat. ſed, ſi nihil ille, ô ſponſa, in ſuis erga te imperiis, ad utilitatem ſuam referat, ſi non ex ſuis ſed ex tuis commodis æſtimet omnia, audebiſne ejus voluntati, tuis commodis inſervienti, reſiſtere? memineris, eum, qui ita imperet, eſſe tibi ſponſum, benevolentem, amicum. quiſnam ſponſus, vel benevolus vel amicus, contra illius, quem diligat, utilitatem atque ſalutem, ſuis juſſis & imperatis venire ſuſtineat? amat te ille, diligit, deperit. ſcin' quam? quo evaſerit, videte, recentibus adhuc flagitiorum tuorum maculis, ac turpiſſimis imbutam cupiditatibus, ex veteris vitæ ſtatu, tanquam ex gurguſtio, retraxit, & ad virtutem,

honeſtatem, & conjugalis vitæ ſanctimoniam dignitatemque revocavit. poteſne majus divini illius in te amoris benevolentiæque argumentum accipere? crede igitur amanti. tua in hujus vitæ felicitatibus ſalus periclitatur, eo quod nondum dies quietis advenerit. non eſt hîc locus ad otium, ſed ad laborem datus; non eſt hîc pacis regio, ſed contentionis atque certaminis campus; non eſt hoc tempus ad riſum & ad voluptatem aptum, ſed luctui ærumniſque conveniens. ſingula quæque ſuum locum ac tempus habent. non eſt rerum ordo pervertendus; eoque minus, ſi hæc perverſitas magnum aliquod ſit allatura damnum vel malum. nam, moneo, voluptas hæc, quam præſumis, æternorum malorum cum extremitate conjungitur; contra, brevis labor, quem recuſas, ſempiternum otium ac voluptatem habet adjunctam. ergo, utrum tibi commodum eſt, elige, vel hic ad modicum tempus flere, & in omnem æternitatem lætitia diffluere; aut, vix hic, labentibus, ac more torrentis profluentibus gaudiis adſpergi, ac poſtmodum, duraturis in perpetuum flammis immergi. ne fruſtra ſis. non poteſt otium ex otio naſci, nec voluptas ex voluptate prodire. erras, ſi hoc exiſtimas. nam, laborandum eſt, ut quieſcas; flendum, ut rideas; pugnandum, ut vincas; vincendum, ut corona doneris. Ego, ſponſus ait, flos campi. Flores, quos ager effundit, non poſſunt effugere ventorum atque imbrium tempeſtates, ſolis ardores, pecudum morſus, prætereuntium conculcationes oppreſſioneſque. Non potuit ille, ut mihi videtur, verbum, ad ſe exprimendum, magis aptatum adhibere. vin' florem aſpicere, omnibus, quas diximus, injuriis expetitum atque propoſitum? Dominum Ieſum Chriſtum intuere. hunc Dæmonum ac Iudæorum implacabilis furor, tanquam immanis quædam tempeſtas, invaſit; hunc invidentium ardor, tanquam ſolis æſtus, eſt conatus exurere; hunc iniquorum maledicta, quaſi infeſtis digitis, ſunt conata decerpere. quid multis opus eſt? neminem prorſus invenias, in quem, ob ſingularem rerum adverſarum perpeſſionem, floris agri nomen, aptius digniuſque conveniat. flos venuſtiſſimus, flos candidiſſimus, candore

dore

dore virginitatis; in quem tamen martyrii purpura decenter ac ſuaviter influat, ſeſeque cum illo permiſceat; flos amœniſſimus, in quo illud formæ bonum, ea pulcritudinis virtus inhæret, ut incredibili amoris vehementiſſimi ardore ſuccenſus requieverit ſuper eum ſpiritus Domini. Flos igitur campi, non autem horti flos, Chriſtus, cujus aditus beſtiis & armentis occludatur; non flos lectulo aſperſus, qui, ſuo à culmo reciſus, nullum amplius à radice ſuccum, quo ſuſtentetur, accipiat. age vero, flos hic campi pulcherrimus nitidiſſimuſque, ferarum morſibus, tempeſtatum injuriis, viatorum pedibus expoſitus, ac magna virtute vim furoremque hoſtium ſuorum excipiens, quoſnam comites circa ſe habet? num molles, num ſegnes, num timidos? nihil minus; ſed fortes, ſed impigros, ſed animoſos, ſed decoris patientiæ armis inſtructos atque conſpicuos. ille ſtrenua purpuratorum agmina ducit, inſtruit, hortatur, in armatas hoſtium copias impellit. en, ille, ex domeſtica ipſius diſciplina, in primis edocet, laborando, ſudando, plagas accipiendo perferendoque, ad veræ laudis culmen eniti. quo fit, ut nitidos inter ſuique ſimillimos flores complures eniteat; hoc eſt, ut ornatiſſimum & exercitatiſſimum circa ſe bellatorum numerum habeat; quorum egregia in omnibus earum exercitationum generibus fulget induſtria. ceteri, ut tum erat ſponſa, iſtis diſſimiles, qui laborem detrectant, qui aciem, pulverem, ſolem, dum ſtandum eſt in armis, effugiunt; hoc eſt, dum perferendæ ſunt injuriæ, dum damna, exilia, dedecora, atque etiam, ſi ſit opus, cruces, pro Chriſto tolerandæ, ad injurias perſequendas, ad contumelias propulſandas, ad opes honores ac divitias comparandas, tota ſunt mente & cogitatione intenti, nec Chriſti exemplo commoventur, perinde faciunt, ac miles, ſi, dum ſomni neſcius fluctuat animo imperator, dum aciem contra hoſtem educit, ſigna confert, prœlium init, ille nec imperium accipiat, nec ad arma confugiat, neque è tabernaculo prodeat, ſed altiori ſomno oppreſſus, molliter in culcitra cubet, vel in herba ſtratus ocioſe recumbat. at hic, ſi jure cum ipſo agatur, non modo militiæ honoribus ac præmiis non decorabitur,

bitur, ſed, notatus infamia, mortis vel exilii pœna multabitur. Vnuſquiſque noſtrum, in Baptiſmo, obligavit ſe Chriſti militiæ, maximo atque ſolemni ſacramento; ac profectus eſt cum ipſo in bellum. in bello, in caſtris, non pax, non otium agitatur, ſed labor, ſed cura verſatur; non triclinium, non lectus inſternitur, ſed copiæ educuntur, acies contra hoſtem inſtruitur; non pallium, non toga corripitur, ſed ſagum, ſed thorax induitur. Converte oculos ad Chriſtum, cujus imperatoris es miles; non eum aliis præter hæc ſtudiis intentum, non eundem alio præter hunc ornatu excultum invenies. tuo igitur duce & imperatore in armis excubante, tu iners in lecto recumbes? eodem laboribus multis ac moleſtiis implicito, tu otium quietemque perſequeris? Quorum eſt aliqua inter ſe relatio atque reſpectus, horum ea vis eſt, ut una ſine altera eſſe non poſſit. eſt quies? ſit etiam labor oportet. eſt riſus? luctus reperiatur neceſſe eſt. hic vel antecedit vel ſubſequitur; ſed præſtat, eum anteire, quam ſubſequi. quanto eſt riſus ille ſuavior, qui luctum ſequitur, quam qui præcedit! ſiquidem, quæ præcedunt lacrimæ, dulces ſunt, interruptæ, breves; quod autem ſupereſt gaudium, ſummum, perfectum, nullaque luctus interpoſitione abruptum. accedit, quod luctus, rerum ordine, prior eſſe riſu videtur. Abſterget Deus omnem lacrimam ab oculis ſanctorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra. nullæ enim eſſent lacrimæ, quæ poſſent exſiccari, niſi antea fletus extitiſſet; vel potius nullæ eſſent margaritæ, è quibus torques, quæ in collo agni niterent, efficerentur, niſi eæ antea in oculis ſponſæ, tanquam in aliqua concha, conceptæ ac rotundatæ, ab illis poſtea, quaſi maturus fœtus, exciperentur. præpoſteri igitur homines, qui ponunt quietem ante laborem, riſum ante lacrimas, gaudium ante triſtitiam. at, qui, repudiatis luctibus atque laboribus, dant ſe hilaritati, deliciis, ac voluptatibus, ob id etiam pœna ac ſupplicio digni cenſentur, quod contra Dei legem venire contendant. quæ, malum, eſt iſta noſtra temeritas & inſolentia, qui laborem excutere quavis ratione conamur, quem in

nos,

nos, ob peccatum, tanquam aliquam molem, attraximus? nam cultus agrorum, arationes, ſationes, generi hominum, pœnæ loco, ſunt additæ; quod contra Dei legem venire ſit auſum. nec Adæ tantum, ſed unicuique noſtrum, quorum nemo eſt qui non in eo deliquerit, dictum eſt, In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumtus es. quæ laborandi neceſſitas, non homines modo, quotquot ſunt, fuerunt, ac futuri ſunt, urget, verum etiam pecudes ipſas, atque adeo res cunctas amplectitur; ut plane ſit nihil in mundo, quod non perpetuo quaſi labore curaque torqueatur. manifeſtæ ſunt quadrupedum vectiones, juga bobus impoſita, canum cuſtodiæ, bombycum ad hominum cultum eviſcerationes, perpetuæ animalium quorumcunque, quos ſigillatim perſequi longum eſſet, ærumnæ ac labores. at homo, præ ceteris animantibus, natus ad laborem, audebit ſe illi ſubducere, ac ſordidas voluptates exquirere, in quarum cœno, tanquam in lectulo, molliter accubans, avocet ſe à curis, à ſolicitudinibus, à moleſtiis, quæ ab hominum vita, pro illorum meritis, ſejunctæ eſſe vix poſſunt? quid dicam de fructibus, iiſque quæ generantur è terra, ad quorum ſimilitudinem Chriſtus non ineleganter eorum animos tranſtulit, qui aliquem ex ſe velint fructum extare? Amen, dico vobis; niſi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert; qui amat animam ſuam, perdet eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Aſpice, quot cæli, terræ, ac colonûm injuriis vexatus ager ſi ſit, cum uſura reddat quod accepit. primum enim, ſuo ſemen gremio, ſemel, iterum, ac tertiò, ſubacto atque mollito, complectitur, intra viſcera cohibet, vapore corrumpit; tum, ſolis ardore tepefactum, efficit, ut herbeſcentem ex ſeſe viriditatem effundat, quæ etſi hyemis aſperitate, tempeſtatum ſævitia, nivium ac pruinarum rigore, retineri, quo minus adoleſcat, videatur, non tamen otio (liceat ita mihi loqui) ſe tradit, ſed aſſiduo ac nunquam intermiſſo labore, altioribus ſeſe implicat terræ radi-

radicibus, quibus eam, tanquam manibus, comprehendat, ut ad plures poſtea culmos ac vaginas, uberiori frugum copia refertas, proferendas, altius validiuſque firmetur. ut dici de ea non incongrue poſſit, nunquam minus otioſam & inertem eam eſſe, quam cum otioſa atque iners exiſtimatur. Pari ratione, genus humanum, niſi perpetua ferendi laboris neceſſitate prematur; erit tanquam frumenti neſcio quod granum, otioſum, in horreis ad murium & formicarum paſtum incluſum; niſi altiori ad ferendos labores patientia roboretur, erit quaſi quædam avena, vel lolium, aut ejuſmodi alia frugum peſtis, quæ in herbeſcentem tantum viriditatem & inanes abeat ariſtas. Iam vero, ut ad ſuperiores præſtantioreſque naturas progrediamur, quid temere cernimus, in hac tanta machina, ſolutum opere, ſtare? ſuſpice cælum; contemplare ſolis lunæque circuitus; intuere reliquorum ſyderum converſiones; ut ratis immutabilibuſque curſibus ſua ſpacia conficiant, ut ad rerum omnium procreationes & incrementa; ut ad animantium ortus conſervationemque proveniant, ut maturitates temporum & varietates efficiant; adeo ut etiam clariſſimæ ſolis lunæque facies, quemadmodum quibus præ nimio labore color immutatur & ſpiritus deficit, quodam quaſi pallore ſuffuſæ nigreſcant, unde fortaſſe ſolis lunæque defectiones dictas eſſe, crediderim. deinde animadverte, ut omnia perpetuo, ac ſuæ, ut ita dicam, voluntati contrario motu volvantur. arripit enim ille externus atque omnia cingens cæli complexus, non modo ceterorum ſyderum orbes, ſed ipſa etiam elementa, & in ſuum curſum & motum admirabili celeritate contorquet atque deflectit. Si igitur eorum, quæ ſunt in mundo, nihil vacuum eſt à cura atque labore; homo, qui mundo continetur, non hac eadem neceſſitate ac lege tenebitur? errat; velit nolit, laborandum illi eſt, decertandum, & cum omnibus vitæ hujus incommodis ac moleſtiis confligendum. vix locum capiet ad voluptatem & ad quietem, cum ex improviſo, & tanquam ex inſidiis, erumpentibus ac ſubeuntibus calamitatibus multis, præceps inde deturbabitur. Tollite, Chriſtus

inquit,

inquit, jugum meum ſuper vos. Semper lex Dei, jugi ſignata nomine eſt; ac re vera jugi rationem ac ſimilitudinem obtinet. Lex, per Moyſen data, jugum erat, ſed jugum ejuſmodi, cujus oneri, eorum quibus illud erat impoſitum vires nunquam ſufficere potuerunt. eſt itidem Chriſti lex jugum, ſed omnis expers gravitatis moleſtiæque, ac plenum ſuavitatis atque lætitiæ. at quidquid laboris ex imperio ac libidine mundi ſuſcipitur, oneris ratione ac nomine continetur. vin' ſcire, quam id illi nomen apte eleganterque conveniat? roga eos, qui ſunt experti; jam tibi fateri cogentur, nullam uſpiam ſarcinam inveniri, adeo magnam, adeo gravem, adeo ad ferendum tolerandumque difficilem, quæ cum illius oneris magnitudine & gravitate æquari conferrique poſſe videatur. denique, omnes tibi dicent, mundi hujus imperia, onera eſſe omnium acerbiſſima atque graviſſima. audi Regem, ſui ævi maximum ac clariſſimum, cujus dorſo, duorum tantum peccatorum pondera inhæſerant; quemadmodum de illorum gravitate conqueratur, ut doleat, ut exclamet, ut vociferetur, iniquitates ſuas ſuper onus grave gravatas eſſe ſuper ſe, ut interdum etiam, cum queſtu, gemitu, ac ploratu, uſque in finem ſe eſſe curvatum, affirmet. Summa denique huc redit, ut, ſi unumquodque ſuo nominis pondere liceat expendere, quod nobis à mundo imponitur, onus, quod à Chriſti lege committitur, jugum ſit appellandum. Et recte. etenim, non ſumus nos ad onera ſuſcipienda, ſed ad juga ſubeunda, formati. non igitur mirum cuiquam videbitur, quod homines id, quod ipſis à cupiditatibus ſuis, quas ſæpe mundi nomine afficimus, imperatur, ſævum, atrox, immane, ſe ferre non poſſe exclament, ſi fecerit, ut illud ſibi veniat in mentem, ex eorum nos animantium genere non eſſe, quibus onera tuto tradantur, ſed in iis potius numerari, quæ ſint ad juga ferenda in primis idonea. ſed, quemadmodum natura cervices animalium eorum, quæ ad aratrum extrahendum effinxit, mollibus quibuſdam carnibus, tanquam pulvinis, inſtruxit, quarum præſidio ſublevata, facilius munus ſuum exequerentur; ita etiam nobis,

quos

quos eſſe natos ad jugum oſtendimus, patientia manſuetudoque à Deo ſuppeditatur, quæ jugo ſternantur, quæque omnem fere à nobis laboris vim moleſtiamque depellant.

PARADOXVM TERTIVM.

Nullum eſſe malum, præter culpam.

VEnit ad te, Fabi humaniſſime, Paradoxum hoc tertium, quod veteribus Philoſophis, Stoicis præſertim, probatum eſt adeo, ut non alio ſe magnificentius circumſpicerent nec elatius inferrent; videlicet, extra culpam, nihil eſſe, quod ſit numerandum in malis. Ad id opellam ego quoque meam contuli; ac, pro meo modulo, ad Chriſtianam religionem accommodatius ſum explicare conatus. Mitto ad te; utpote ad eum, qui genus hoc orationis, non aſpernetur, liquidum, purum ac profluens, quod hodie in Rhetorum ſcholis ut plurimum exſibilatur & exploditur, illudque cum plauſu excipitur, quod, verborum ordine perturbatum, intelligentiam remoretur, membris minutioribus connexum aures non impleat, tranſlatis frequentioribus occœcatam aciem effugiat, ſententiolis, ut ajunt, vibrantibus, & ex abdito erutis, refertum, egregie cordatis hominibus riſum magis, quam voluptatem admirationemque, commoveat. Sed ad rem accedamus.

Si peccati deformitas turpitudoque conſtitui ante oculos poſſet, tantum tamque acerbum ſui odium concitaret in animis omnium, ut quivis ſatius eſſe duceret, omnes antea corporis cruciatus doloreſque perferre, quam ulla animum iniquitate fœdare. Verum, quia illa abeſt ab oculis, dolores autem & adverſæ res omnes ſub aſpectum cadunt, ſenſuſque pervellunt, majus apud nos pondus ac vim habent, quam graviſſima flagitia atque peccata, quibus peccatis contaminare animum malumus, quam in illa incurrere. Sed hominem, ratione judicioque præditum, avocare à ſen-

ſibus animum decet, ejuſque mala, cuivis corporis damno præferre. nam primum conſtat inter Philoſophos, qui tamen ratione & via philoſophantur, maximum omnium malorum eſſe culpam, immo nullum eſſe malum præter culpam. nam morbus, egeſtas, ſolitudo, cruciatus, mors denique ipſa, non ſunt in malis habenda; ac, ſi quæratur, quo loco ac numero ſtatui debeant, ob utilitates maximas, quas ſecum afferunt, invenietur, ea eſſe digna, quæ in illa ſede collocentur, in quam demens vulgi judicium voluptates, ſementem omnium malorum, attraxit. cui enim non ipſa luce clarius eniteant utilitates, quæ ſæpenumero ex rebus adverſis colliguntur? nonne multo meliores fiunt homines ex rebus, quas teterrime ſibi cecidiſſe queruntur, quam ex iis, quæ bene ac feliciter ſibi proveniſſe gloriantur? quis igitur ea eſſe dixerit mala, quæ homines probos efficiant? poſſetne quiſquam in rebus malis ipſe eſſe non malus? equidem, nullam eſſe arbitror fortiorem contra vitia medicinam, quam quæ continetur in iis, quæ aſpera, difficilia, & acerba dicuntur, quæque præſertim contra voluntatem noſtram, ſi non ſit ea cum virtute conjuncta, procedunt. iis enim, cupiditates, longius quam par eſt, progreſſæ, revocantur; compeſcitur avaritia, lenitur ira, inhibetur luxuria. At ſunt aſpera, difficilia perpeſſu, triſtia, dura. quis id tibi non conceſſerit? ſed pharmaca etiam, miſſio ſanguinis, uſtio, ceteraque, quibus amiſſa corporis valetudo reparatur, ſunt jucunditatis expertia, ac refertiſſima acerbitatis; numquid magis ea tamen gratia numerari debent in malis? nam, cum conſtemus animo & corpore, & corporis curandi tuendique cauſâ ea quæſita ſit ars quam medici profitentur, animi quoque, quæ præcipua pars eſt hominis, debuit eſſe medicina, quæ illum, vitiorum morbo languentem, curaret, ad ſanitatemque perduceret. hæc autem medicina iis maxime rebus continetur, quas tu in odium offenſionemque conaris adducere. aut igitur corporis cura rejicienda eſt, aut animi etiam admittenda curatio. At homines, inquiet aliquis, ſanctiſſimos innocentiſſimoſque, innumeris ſæpe doloribus ærumniſ-

D que

que obſeſſos agitatoſque, & audivimus & legimus, pleroſque etiam vidimus; quodnam igitur in eis vitium ea purgatione ſecretum eſſe dicamus? nam, quæ medicinæ ratio intelligi poteſt, in rebus adverſis, quum bonis viris accidunt? quaſi vero medicamenta inventa ſint ſolum, ad recuperandam amiſſam valetudinem, & non etiam ad eam tuendam conſervandamque, ne ex optimo ſtatu devolvatur in præceps. At ſi recte ſimilitudines volumus, rurſus ille inquiet, adjungere, nonne, quemadmodum ex medicorum ſententia cavendum eſt, ne, in ſecunda valetudine, adverſæ præſidia conſumantur, ita etiam ab optimis ac ſapientiſſimis viris, quoad eos in officio permanere contingat, removendæ ſunt omnes res aſperæ, amaræ, atque ad patiendum tolerandumque difficiles, ſiquidem eas volumus, adverſus geſtientis ac rationi non obtemperantis animi motus, maximam utilitatem habere? nam ſi eos poſtea errare ac labi contingat, quanam alia ratione æger eorum animus ad ſanitatem revocabitur? Bene agis; ſed, quod ad bonam vel malam valetudinem attinet, non omnino par atque una ratio eſt animi & corporis; ſed hanc habet corpus ab animo diſſimilitudinem, quod illud, niſi ſi quid extrinſecus accidat, ipſum ſe tuetur ac ſervat, at animi ſenſibus, utpote pronis, ab adoleſcentia noſtra, ad malum, ac geſtientibus ſemper ruere, niſi aliqua dolorum quaſi fultura accedat, quidnam eiſdem aliud, niſi exitium ac præceps ruina, continget? Calamitates igitur, cum ſapientibus veniunt, optimam ac præſtantiſſimam, contra vitiorum morbos, medicinam apportant. Deinde, quis malorum nominibus ea audeat afficere, quæ in nullius damno verſantur? nihil dolor, quantumvis magnus, nocere cuiquam poteſt, ſi à perturbatione animus vacet. nam, quid eſt illud, quo præſertim homines ſumus, niſi ratio? at hanc percellere atque pervertere nulla res poteſt niſi malitia; quæ penetrare in animum poteſt, eidemque, niſi ſit adverſus eam egregie munitus, exitium ac peſtem afferre. At vero, quæ vulgo mala putantur, cum vim ſuam circa corpus tantum exerceant, nec introrſus, utpote externa, ſe inferant, illud ſolum

vellicant, fodiunt, vulnerant, enecant. propterea, Nolite, Chriſtus inquit, timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. qua Chriſti voce, infinita penè hominum multitudo, in qua infirmior etiam ætas ac ſexus continebatur, confirmata, ſævientium tyrannorum minas contemſerunt, vitam ſuam in diſcrimen obtulerunt, nullum ſupplicii genus deprecati ſunt, neque recuſarunt. Sit igitur fixum atque decretum, dolorem, egeſtatem, inopiam, ac demum quidquid fœdum & horribile humanam vitam invadit, non eſſe mala, quoniam omnis eorum vis impetuſque feratur in corpus, ibique tota conſumatur; ſolam autem culpam eſſe in hoc numero reponendam, quod animum, in quo præſertim hominis vis ineſt, attingat, planeque conficiat. Sed jam propius ad ea mala accedamus, quæ homini ex peccato, tanquam à fonte, proveniunt. at longum eſſet & infinitum, omnia colligere; ſed non vagabitur oratio mea longius, atque iis tantum definietur, quæ ceteris præſtare videantur. Ac primum omnium, ſolum peccatum conſtituit hominem injurium ac contumacem in Deum. quæ injuria, cum perſonæ infinitæ facta ſit, infinitam etiam malitiam improbitatemque complectitur. Sed, ne iſtud perperam à me dictum eſſe videatur, non debet nos effugere, peccatum accipi dupliciter poſſe; primum, ut eſt in homine, nimirum ut eſt appetitio aut actio ejus aliqua; deinde, ut ejus objectum eſt Deus. primò modo, peccatum infinitam in ſe malitiam non habet; nam definita quadam ratione modoque actiones noſtræ impelluntur ac moventur in Deum, cum ratio atque voluntas hominis, non ex objecti immenſitate, ſed ex percepta de illo notitia, quæ finita eſt, ac certis quibuſdam quaſi cancellis incluſa, ad agendum appetendumque moveatur, neque objectum infinitum in res, infinito intervallo infra ſuam magnitudinem poſitas, cujuſmodi ſunt actiones appetitioneſque humanæ, immenſitatem infinitatemque refundat ſuam. altero modo, peccatum, videlicet ex objecto conſideratum, infinita improbitate non caret, cum infinitam Dei majeſtatem minuere ac labefactare, quod eſt in ſeſe, cone-

tur, &, ſi omnes injuriæ, omnibus hominibus factæ, unum in locum conferantur, ne minima quidem ex parte eam, quæ Deo impoſita ſit, aſſequi queant. Vſque adeo peccati, ſecundo modo ſumti, hoc eſt, cum objecto collati, perverſitas atque malitia nullam habet oram, nullam extremitatem qua terminetur, ſed longe atque longe in immenſum infinitumque progreditur. hinc peccantis error, ac ſtultitia, manifeſto convincitur, quod illud æs alienum velit contrahere, quod omnibus ſuis opibus, ac vita etiam ipſa, diſſolvere nequeat. quænam enim infinitæ iniquitati, apud homines, par ſatisfactio reperiatur? at, niſi æterni Dei æternus filius interveniſſet, qui ſuo ære, quod eſt infinitum, id quod à nobis debebatur, exſolviſſet, hoc eſt, qui aſſumto humano corpore, reconciliaſſet nos Patri in ſanguine ſuo, omnes, ad nos liberandos, aditus ſepti & intercluſi fuiſſent, eo quod & fides noſtra concidiſſet, nec quiſquam adeo potens inveniretur, à quo ſaltem ad nos expediendos fieri verſura poſſet. quid mirum eſt igitur, ſi paterfamilias, captus miſericordia illius ſervi, qui debebat ipſi centum millia talentorum, nec habebat unde ſolveret, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei? etenim, à fidejuſſore, qui pro illo interceſſerat, integrum jam creditum acceperat. In eo debitore, cui tantum paterfamilias indulſit, ego deſigner, pro quo Chriſtus præs eſſe voluit, & tantam à me debitam pecuniam exſolvere. Sed magnopere cavendum eſt mihi, ne ingratum, adverſus tantum beneficium, animum geram. nam demum in eodem, ut dicitur, luto hærebo, verſuramque perſolvam, id quod ingrato illi ſervo, ex eodem Euangelio, eveniſſe narratur. Verum, ut inſtitui dicere, ad arguendam peccantium nequitiam, illud quoque accedit, quod in ipſorum peccatis, etiam ut rationem habent injuriæ, propemodum infinita vis ineſt; quoniam non eum afficimus injuria, cujus dignitas, ſplendor, atque majeſtas nos lateat; ſed eum contumeliis oneramus, cujus potentia, amplitudo, divinitaſque, ante oculos nobis obverſetur. Si quis regiæ cuipiam perſonæ, ſibi ignotæ, quod ſordido obſoletoque veſtitu incedentem eam

aſpiceret,

aſpiceret, injuriam imponeret, non perinde in eum animadverteretur, ac ſi regali eundem in ſolio ſedentem, purpura indutum, atque auro gemmiſque redimitum, contumelia dignum exiſtimaſſet. nam tum, non tantum poſſet in eo pœnæ ſuppliciique conſtitui, quod ejus ſceleris atrocitatem magnitudinemque aſſequeretur. Quæ ſi vera ſunt, in quonam injuriæ gradu peccata Chriſtianorum conſiſtent? quæ pœna, quod ſupplicium, eorum par audaciæ improbitatique reperietur? quos non pudeat, ita contumelioſe Deum accipere, quem, fidei oculis, eodem quo Patrem ſolio, in cælo ſedentem, ſuaque majeſtate omnem terram implentem, aſpiciant? qui eatenus, Dei cognitione notitiaque proceſſerunt, ut nulla ſit anus, nullus puer, qui veteres philoſophos atque magiſtros longe rerum divinarum ſapientia non antecedat; ut etiam cæleſtis magiſter, conjectis in Deum patrem oculis, dixerit; Confiteor tibi, pater, Rex cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus ac prudentibus, ac revelaſti ea parvulis. Quod ſi Paulus Apoſtolus, ſcribens ad Romanos, quovis ait eos ſupplicio dignos, qui tenui incertoque lumine naturæ, cum aliquam Dei immortalis noticiam percepiſſent, multis ſeſe ſceleribus ac flagitiis coinquinando, honorem illi, ut Deo, non tribuerunt; quid ſupplicii in nos æquum eſt ſtatui, qui tantam tamque exquiſitam, ab illo gratiarum ac luminum fonte, divinæ ipſius præſtantiſſimæque naturæ intelligentiam hauſimus? Alterum damnum, vel malum, quod dat ſibi ipſe peccator, eſt illud, quod omnes ad ſe divinæ miſericordiæ vias adituſque præcludit. nam, qui ſcelus aliquod in ſe concipit, illud ſignificare videtur, ſe Dei amicitiam nolle, nihili facere, ac velle perpetuò in eo luto, in quod ſe injiciat, hærere. ſcit enim pro certo, cum peccati, animum, cujuſpiam alligat, Dei in eum odium & offenſionem attrahere; ſimul etiam ab opinione ſua non abhorret, in eum ſe barathrum, præcipitem agere, unde, neque ſuis viribus; neque alterius cujuſvis ope poſſit emergere. itaque, cum in fraudem aliquam ſponte delabitur, quidnam aliud videtur dicere, niſi, Deum inimicum volo?

quidnam aliud fateri videtur, niſi, Ipſe me præcipitem eò conjicio, unde, licet omnes omnia conentur, niſi aliquod divini auxilii lumen effulgeat, nulla vi poſſint extrahere? Et miramur, cum audimus, damnatorum ſupplicia, æterna apud inferos fore? quis enim audeat, nimiæ in ipſum ſeveritatis, judicem Deum arguere, cujus in ſe iram concitaverit, quem inimicum, quam amicum, habere maluerit? quis cruciatuum ſuppliciorumque æternitatem deprecari ſuſtineat, qui voluptates ſuas, ſordidas & impuras, nullis temporum ſpaciis circumſcribi, ſed æternas eſſe, cupierit? qui lutum illud ac cœnum, cui perpetuo hærere, nec ab eo unquam diſtrahi avellique tantopere, adamavit, cælo, æternæ in eo vitæ, Deoque antepoſuerit? At Chriſti mortis beneficium, inquiet fortaſſe aliquis, infinitæ hominum malitiæ occurrit, quòd beneficium, peccatorem quempiam nactum, quamvis in luto peccati pertinaciter hærentem, abripit, & continuo in Dei gratiam & benevolentiam abſtrahit. Itane vero? ideo te in profundiſſimam aliquam foſſam immittas, quia ſit aliquis, qui inde poſſit eripere? ideo lethale tibi ipſe vulnus infligas, quia ſit aliquis, qui vulneribus medeatur? quidnam eſt hoc? utrum pericula propter auxilia nata ſunt, an periculis auxilia ſucceſſerunt? utrum vulnus propter medicinam excogitatum eſt, an medicina propter vulnus inventa? Deinde, quis dixit, iſtud tibi auxilium ſemper fore paratum? vel, ut tibi concedam, præſto illud eſſe omnibus qui ipſo uti velint, unde ſcis, te illo eſſe uſurum? quam multi, divinis auxiliis, cum ſe illis ultro offerrent, repudiatis, à conſuetudine peccandi non receſſerunt! quam penè innumerabiles, ab hoc eodem auxilio, ſua ipſorum culpa, deſerti, ex hac vita migrarunt! Quamobrem, qui animam puram conſervare à peccatis poteſt, non eam ſceleribus flagitiiſque contaminet; qui ſe excitari ad pœnitentiam ſentit, det manus, ac ſe ſublevantem ſequatur, neque divini auxilii, quod temere, nunquam ſibi defuturum eſſe, promittit, fiducia, peccandi audaciam in ſe corroborari patiatur. Sed ut tandem vela colligam orationis meæ, quæ in altum hujus diſputatio-

nis

nis provecta, nos vorſoriam capere, & reverſionem ad portum facere cogit; poſtremo, peccatum eam ad inſaniam hominem adigit, ut de inferenda, Deo immortali, nece cogitare compellat, quo nihil inveniri neque immanius neque horribilius poteſt. nam vellet peccator, ſi fieri poſſet, Deum è mundo tollere, atque omnem plane vim divinitatis exſtinguere; quod aperte profiteri videntur ii, qui capitali in Deum odio feruntur, tacite quodammodo ceteri, quos, in ſumma rerum omnium licentia, omnibus ſe flagitiis atque ſceleribus onerare, delectat. etenim, quo bona illa, quæ pluris faciunt quam Deum retinere, quo voluptatibus ſuis otium ac ſecuritatem parere, quo in ſuis libidinibus exultare ac bacchari liberius liceat, vellent, nullum eſſe cælum, nulla eſſe in eo præmia, quæ recte hominum factis perſolvantur, nullas eſſe inferorum ſedes, ad quas improbi, æternis mactandi ſuppliciis, relegentur, nullum eſſe Deum, qui ejuſmodi præmia pœnaſque conſtituat. in quo non modo graviter Deum lædere, cum eundem exſtinctum omnique honore cultuque eſſe ſpoliatum cupiant, verum etiam peſſime de genere humano mereri videntur. nam, pietate adverſus Deum ſublata, quæ fides, quæ pietas, quæ hominum ſocietas, quæ juſtitia relinquitur? quis enim manum ab alieno contineat, qui, nullum eſſe Deum, exiſtimet? quis avaritiam refrenet, iracundiam cohibeat, libidines teneat, qui nullum metuat cervicibus ſuis, omnia notantem & animadvertentem, Dominum? O rem horribilem & execrandam, quam non ſolum exhorret oratio, verùm ipſa mens etiam & cogitatio reformidat ac refugit. quis non, vel hoc præſertim nomine, inteſtino & exitiali peccatum odio proſequatur, quod eò hominem compellat ac redigat, ut optime ipſi ac rebus humanis conſulentem Deum, nullum eſſe percupiat, ut omnium parentem, qui genus colit alitque hominum, per quem vivimus, movemur, ac ſumus, quem penes ſpes ſitæ ſunt noſtræ, de medio ſublatum (horret animus dicere) velit eſſe, ut denique communionem hominum diremtam, ut unam excellentiſſimam virtutem, nimirum juſtitiam, exſtinctam exoptet? Non video aliud

ultra, quo progredi peccati malitia poſſit; idcirco mea etiam oratio, ſublato ſibi ſpacio in quo poſſit excurrere, ſubſiſtit, vel potius tantæ tamque exſecrandæ, omnium, quos terra ſuſtinet, profligatiſſimorum ac perditiſſimorum hominum, iniquitatis in Deum, commemoratione, tamquam ii qui ſunt de cælo icti, ſtupet, horret, deficit.

PARADOXVM QVARTVM.

Deum noſtrum, eſſe Deum latentem.

SVperioris hebdomadis occupationes, quibus implicatus detinebar, meorum ad te Paradoxorum curſum, paululum inhibuerunt. nunc autem, magna illis ex parte expeditus, nullam habeo cauſam, quin hoc quartum, tibi promiſſum ac debitum, meis è manibus egredi, ac liberum ad te iter habere, permittam. Verum, ea illud ad tuum conſpectum hilaritate contendit, ut non progredi ſed feſtinare, non currere ſed evolare videatur. Paradoxi autem hujus ſententia hæc eſt, Deum, quem ſuſpicimus, veneramur, & colimus, Deum eſſe, latentem, abſconditum, neque ſeſe in conſpectum cuipiam dantem. quod adeo, ante Chriſtum natum, ſi Iudæos excipias, omnis ferme repudiavit antiquitas, ut non modo paradoxi ſed monſtri ac prodigii cujuſdam ſimile eſſe crediderit, alium Deum publice vel privatim aſciſcere præter eum, qui ſub cernendi ſenſum veniret. hinc illæ majorum minorumve gentium ortæ deorum familiæ; hinc ille, Veneris, Iovis, Solis, Lunæ, ceterorumque ſyderum, quorum illuſtrior eſt facies, cultus atque religio; hinc felibus, lupis, canibus, aliiſque animantibus, quorum formas in galeis vel clypeis ſuorum Regum ac principum viderant, atque etiam (ſi Deo placet) cœpis alliiſque, tributa divinitas. Terreni videlicet homines, ac ſenſibus addicti, qui ne ſuſpicari quidem quidquam audebant altius de Deo atque præſtantius iis quæ oculis ſubſunt; maluerunt nihili beſtiis, quæ viſum intuentis admitterent, divinum principatum tribuere, quam res cæcas, & ab aſpectus judicio remotas, in Deorum numero

mero ducere. Pompejus ille magnus, ſubactis Hieroſolymis, & in ditionem Populi Rom. redactis, cum eſſet longe cupidus inſpiciendi, quonam eſſet ore Judæorum Deus; quod exiſtimaret, vel in ipſorum templo vel nuſquam poſſe aliquam ejus imaginem inveniri; jure victoriæ in Sanctuarium irrupit, quo, præter ſummum ſacrorum antiſtitem, aditus erat nemini; ibique nullas deorum immortalium effigies, ſed ſedem vacuam & inania arcana, ut Tacitus ait, invenit; quamobrem, ſpe ſua deceptus, ni fallor, deridiculo gentem illam habuit, cui Deus eſſet ille, qui nuſquam, cujuſmodi eſſet, appareret, neque poſſet ejus ſpecies in aliquam formam includi. ut propter hanc, tam inſignem, Deo illatam injuriam tantumque veræ religionis contemtum, talis Imperatoris, omnium fere gentium victoris, frequentibus aſſuetam triumphis, domum, nullis poſtea ejuſdem auctam condecoratamque victoriis extitiſſe, eundemque, inſolentem infamiæ, ſemper in laude verſatum, ac circumfluentem gloria, in ſummam omnium vituperationem contemtionemque veniſſe, accuſatum ac reprehenſum, quod non pro libertate patriæ atque ſalute, ut ipſe jactabat, ſed privatæ potentiæ (quod neminem dignitate ſecum exæquari volebat) retinendæ gratia, imparatus rerum omnium, pernicioſum atque funeſtum Reip. bellum ſuſcepiſſet. Antiquitas igitur omnem illum Deum rejiciebat, qui non ea eſſet figura, quæ digito demonſtrari poſſet. at vero à nobis, qui divino lumine illuſtrati didicimus, à ſenſibus mentem abducere, illi honor, virtus, imperium, divinitaſque tribuitur, qui ſtat poſt parietem, aſpiciens per cancellos, proſpiciens per feneſtras. neque eſt ita multum elaborandum, ut inveniamus, quiſnam ſit iſte paries, poſt quem Deus noſter occulte deliteſcit, ſi ad panis vinique formam te convertas, quæ, nos inter & ipſum, interjecta, divinam nobis ipſius pulcritudinem eripit. etenim non ineleganter hunc obicem, parietis nomine, contineri reperies. qui tamen paries, perpetuus non ſit futurus, ſed tum diruendus, cum latitans poſt ipſum Deus noſtris ſeſe obtutibus offeret. deinde gratiarum bonorumque

 fluenta,

fluenta, quibus paries hic perfluit, ſatis oſtendunt, non eſſe eum ita ab omni parte ſeptum ac clauſum, quin rimis aliquibus hiet, unde noſtri amantiſſimus Deus, non tam oculos in nos conjiciat, quam divinorum munerum largitatem, noſtris neceſſitatibus ſublevandis aptam, effundat. Quæris, quomodo, poſt hunc parietem ſtans, latitare dicatur, qui omnes cæli cardines, omnes Angelorum ordines prætervectus, ſuam ad dexteram Patris ſolium collocatum habeat, in eoque reſideat. conſule Davidem, idoneum arcanorum ſponſi interpretem; hic tibi dicet, illum, in hoc myſterio, paratam in conſpectu tuo menſam habere, qua omnes in te adverſariorum tuorum impetus rejiciat ac frangat. Si igitur ipſe in hac menſa, defenſoris tui partes munuſque ſuſcepit, quiſnam ſitus vel figura corporis alia pugnanti ſit aptior, quam recta? Quid multa? ſtat poſt hunc parietem Deus, ut acrius vehementiuſque, tuis ſeſe inimicis, ad tui defenſionem, objiciat. Quod ſi, ex interpretum quorundam ſententia, mortalitas etiam noſtra, parietis vocabulo nuncupatur, ſponſus, id eſt Chriſtus, ſtare poſt illum dicitur, quia eam animi firmitatem ac rectitudinem habuit, ut nullum neque caſum neque prolapſionem incurrerit; hoc eſt, ita perturbationes animi in poteſtate habuit omnes, ut rationis, quæ ſemper eſt recta, imperium defugere, ab eaque ne tantulum quidem declinare ſit paſſus. non enim ille, ut nos, à perturbationibus animi, videlicet à ſpe, metu, triſtitia, invitus corripiebatur, & interdum, quo minus eſt opus, abſtrahebatur, ſed earum quaſi habenas habebat in manu, quas, cum ratio juberet, remitteret, cum aliter poſceret, revocaret. age vero, illa ejus firmitas & conſtantia quanta fuit, cum, ab omnibus humanis miſeriis & calamitatibus oppugnatus, nullum commoti animi ſignum oſtendit, cum nullis ejus patientia eſt evicta doloribus, nullis æquitas animi eſt perturbata moleſtiis, nullis fortitudinis gravitas eſt labefactata injuriis, nullis caritatis ardor tormentorum aquis extinctus; ſed, injuria laceſſitus, fregit impiorum hominum furorem patientia, cruciatu affectus contudit, carnificum rabiem crudelitatemque ſilentio:

ut

ut affirmari liquido poſſit, quicunque in hunc parietem impetum fecerint, fractos, colliſos, comminutoſque ad terram corruiſſe, ipſum autem, qui poſt eum deliteſcebat, quaſi ſcopulum, perperam adverſariorum tempeſtate percuſſum, immobilem in eodem veſtigio ſemper hæſiſſe. Aves ſcire, quonam primum tempore ſponſus latitare ſub hunc parietem cœperit? tum profecto ſub illum ſe abdidit, cum naturæ noſtræ latebras petiit, quibus occultatus, clanculum cœpit in omnes partes aciem intendere, & contemplari, num eſſet intelligens & requirens Deum. Perſpiciendi verbum, cancellorum feneſtrarumque mentio demonſtrat, parietem hunc, ut paulo ante ſignificavimus, non eſſe, ut ita dicam, cœcum ac foraminum prorſus expertem, ſed locis aliquibus perforatum & apertum. At, ubinam, inquies, in hoc pariete liceat invenire feneſtras atque cancellos quos dicis? in oculis, in auribus, ad quæ, tanquam viæ atque aditus, ſenſibus à ſede animi perforantur. itaque à numero ſenſuum poterit etiam numerus feneſtrarum iniri. Sed quamobrem hoc ſe pariete, feneſtris cancelliſque, hoc eſt, humano corpore, ſenſibus prædito, ſepſit? res eſt aperta; nec ſponſa reticuit; nimirum, ut oculos in unumquemque noſtrum converteret; non certe, ut corporis noſtri lineamenta contemplaretur, ſed ut calamitates, quibus conflictabamur, eaque, quibus premebamur, mala ſpectaret. nam provocatus lacrimis querimoniiſque ſanctorum, tot ſeculis compedes, quas ipſis immaniſſimus hoſtis indiderat, deplorantium, proſpexit Dominus de cælo, ut audiret gemitus compeditorum, ærumnas agnoſceret, vincula, in quæ fuerant conjecti, videret: vidit; atque ita eadem illi viſa ſunt gravia, ut eorum etiam miſericordia permoveretur, uſque adeo, ut voluerit etiam iiſdem doloris miſericordiæque ſenſibus, quibus ceteri hominum ſoliti ſunt, affici. verum, cum id nefas eſſet de illa ſuprema divinaque natura cogitare, quod in eam perturbationes animi, quibus nos impellimur commovemurque, non cadant, rationem excogitavit, novam, ſingularem, admirabilem, implicavit ſe homini, & humanam divinamque naturam,

hypo-

hypoſtaſtis unius vinculo, colligavit. quid poſtea? omnes in ſe humanarum calamitatum fluctus invexit, ab eiſque acerrime ſe vexari agitarique permiſit, ut, quod genus humanum, de ipſius miſeriis, deplorabat, ad ſuas res revocans, quas ferebat acerbas, intimis erga illud miſericordiæ ſenſibus, ad quorum permotionem, ob naturam noſtram ſuſceptam, jam erat idoneus, commoveretur. ſimiliter, cum ob divinitatem, qua omnino par ſimiliſque eſt Patri, nemini parere cogeretur (quamvis non eſſet ignarus virtutis obedientiæ, cum ab ipſo, uti à ſummo bonitatis jugo, virtutum omnium divortia fiant,) didicit, ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam, nimirum ex eo, quod ſe patientem in perferendo crucis ſupplicio, à Patre ſibi commiſſo, præbuerit, perfectiſſimæ obedientiæ ſcientiam uſumque percepit. Hi ſunt cancelli atque feneſtræ, unde ſe conſpici ſponſa gloriatur; videlicet, omnes in ſponſo affectiones animi, ex ipſius rebus adverſis concitatæ atque commotæ. At, quaſnam porro utilitates, quos illa fructus, ex tam arcano ſponſi latitantis aſpectu percipit? quibus gaudiis, qua voluptate, perfunditur? Atqui hæc tam multa ſunt, ut in anguſtum brevis orationis gyrum compelli concludique vix queant. Sed, omiſſis ceteris, quanta eſt ea voluptas, qua illa ex tam apertis ſponſi in ſe amoris indiciis effertur! nam, de ejus amore, propemodum, immo plane, certa eſſe videtur, cujus in ſe oculos tam cupide converſos aſpiciat; ſunt enim amoris indices oculi. quid eam contra tanto viciſſim amori æquum eſt reddere? nonne parem voluntatem, ac mutuos oculorum conjectus? cum nectit amor connubia, nihil æque cupiunt ſponſi, antea quam ſimul ætatem agere ac mutuis ſe libere complicare complexibus liceat, quam furtim inter ſeſe, ſi pudor vel quid aliud palam impediat, aſpicere. at ſponſæ, ſpectandi cupidiſſimæ, longe jucundius eſſet, rejectis impedimentis omnibus, amores ac delicias ſuas percipere oculis affatim, ac ſuo arbitratu, quotidie. ſe enim hac cupiditate differri, indicio ſunt verba illa, quibus identidem ſponſum, ut ſe prodat, efflagitat: Oſtende mihi faciem tuam. ſed tanta res hæc, in hac

miſera

miſera ac plena ærumnarum vita, poteſt optari, quam operari, facilius. ſatis illi debet eſſe, ſi eum videat per ſpeculum & in ænigmate. veniet ille dies, ac fortaſſe non procul abeſt; cui enim exploratum eſt, ſe eſſe victurum ad veſperum? veniet, inquam, ille dies, quo ſibi, jucundiſſimo ſponſi aſpectu paſcere oculos, atque animum ſaturare, fas erit. interea id, quod datur, accipiat; atque, ad eos cancellos feneſtraſque ſæpenumero oculos, non tam corporis quam animi, conferat, unde ſe tam cupide ſpectari tamque peramanter ſuis ærumnis & calamitatibus proſpici ſentit. nam ſi in eas inſpexerit, continuo aliquod in ſponſo ærumnoſum ac miſerum deprehenderit, cujus miſericordia commota, parem eidem miſerantis animi ſenſum exhibeat, immo, prout vires & facultates ſuæ ferant, inopem ac jejunum, re atque opera juvet. Iam non paradoxa, inquies, ſed abſurda, ſed falſa, ſed incredibilia, &c, ut ille inquit; lapides loqueris; ita ſunt dura, quæ, intelligentiæ quaſi dentibus, conficienda ac voranda proponis. nam, qui fieri poteſt, ut, qui divitiis ac facultatibus ceteros explet, inopia & egeſtate confectus, alterius miſericordia indigeat? Si ſermo eſſet de ſponſo, palam omnibus ad viſendum aperto, jure hoc tibi incredibile videri poſſit; ſed cum, nos inter & ipſum, parietem interjectum eſſe dicamus, quid prohibet, pro pariete ſordes nos & ſqualorem pauperum intelligere? quæ ſponſus, quia factus eſt pro nobis egenus cum eſſet dives, ſua eſſe exiſtimat; ut, quærenti, quid ſit pauper, reſponderi non incommode poſſit, eſſe quendam quaſi parietem, ſub quo latitet ſponſus. Ac, ne hoc tibi incredibile videatur, audi eundem ſponſum, ex hoc eodem pariete ſe prodentem. Quod uni, ait, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Cum id, quod minimis ſuis datur, apud ſe collocari confirmat, quidnam aliud fateri videtur, niſi, ſe egentium inopia ac ſordibus tegi, niſi, ſe ſub pauperum perſona latere? Verum, uſque adeo, quod eſt in pauperes collatum, apud ſe poſitum & collocatum exiſtimat, ut, extremi judicii die, æternæ felicitatis præmia bonis delaturus, non alio ſit uſurus exordio,

præter hoc, quod illi, eſurienti ac ſitienti ſibi, cibum potumque præbuerint, quod veſtes nudo tradiderint, quod in ægritudine, in vinculis poſito, nulla erga ipſum pii ac miſericordis hominis officia prætermiſerint, quod hæc atque ejuſmodi alia in ipſum beneficia contulerint, ideo ſe cæleſte illis regnum, mercedis loco ac muneris, aſſignare. Neque illud movere nos debeat, quod homines, pauperum ſtudioſiſſimi, Chriſto reſponſuri dicuntur: Domine, ecquando te vidimus eſurientem & pavimus, ſitientem & dedimus tibi potum, nudum & integumenta præbuimus? quid? ignorabantne illi id, ſibi toties à Chriſto decantatum, quod pauperibus daretur, ſibimet ipſi dari? non audierant in concionibus, non legerant in ſanctorum hominum monumentis, pauperes eſſe Chriſti manus, &, quicquid illis numeraretur, in Chriſti manibus numerari? ſed eorum perpetuus, in ſe ipſis contemnendis, ſuiſque meritis extenuandis, uſus exercitatioque eas ab illis voces eliciebat, quibus ſuam in pauperes liberalitatem, non in Chriſtum, qui illorum quodammodo perſonam induerat, refundi, ſed in ipſis pauperibus terminari dicebant. Similiter, ſupplicia ac pœnas improbis irrogaturus, non alias ipſorum damnationis cauſas afferet, niſi quod pauperes neglexerint, ſeque ipſum, in illorum contemtu, ſpreverint, ac pro nihilo habuerint. etenim, converſa oratione: Eſurivi, inquiet, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi bibere; nudus eram, & non operuiſtis me. Quid illi? ſument pro defenſione illud ipſum, quo ſuperiores, ad extenuandas virtutes ſuas, utentur: Domine, ecquando te nudum ac pannoſum, in triviis ac plateis eſurientem, vel ſiti confectum, offendimus, nec opibus noſtris ſublevavimus? quod ſi te ſemel contigiſſet aſpicere, continuo multa ad te ab omnibus munera conveniſſent, pro ſe quiſque ſedulo feciſſet, quo illam tibi moleſtiam adimeret. Sed, num hæc illis defenſio procedet in numerum? minime. immo hæc ipſa reſponſio, cauſam eorum jugulabit ac perimet. quamobrem? quia eſt ridiculum, dicere quemquam, illud ab opinione ſua abhorruiſſe, quod millies ſuas in aures infuſum

fuiſſet

fuiſſet; nimirum, habitare Chriſtum in paupere, atque inde, tanquam ex perforato aliquo pariete, manus noſtras in oculis ſuis habere, illas implorare, ab illis auxilium expetere. Jam ut mirum videri non debeat, ſi inſipientes illæ virgines, nullo alio crimine niſi olei inopiâ, fuerint ſponſi tecto connubioque prohibitæ: videlicet, eas oleum, hoc eſt amor in pauperes ſtudiumque, defecerat. Sis fortis, ſi caſtus, ſis virtutum omnium princeps; ſi nudus ſis à caritate, hoc uno crimine peribis. contra, ſi lapſa ſit libido in plurimis maximiſque flagitiis, ſi bacchanti ſimilis furor in graviſſimis peccatis atque ſceleribus excurrerit, ſi poſtea caritatis ardor, quaſi quoddam indumentum, acceſſerit, confeſtim omnia illa in te vitia occultabuntur opprimenturque. caritas enim operit multitudinem peccatorum. Cujus rei undenam aliud nobis liceat exemplum, quod ad caritatis ſtudia amplectenda majores ſtimulos addat, expetere, quam ex D. Maria Magdalena? hæc, cum, nullo implicata connubio, libere, proterva petulanter, dives effuſe, libidinoſa, meritricio more, vitam egiſſet, denique flagitiis ſeſe omnibus contaminaſſet, tamen; quia oleum ad Chriſtum, quo eum perungeret, attulit, hoc eſt, caritatis ardore munita ad eundem acceſſit; quo igne ſic erat incenſa, ut nihil eſſe poſſet in amore ardentius; ſtatim fuit digna, quæ audiret: Remittuntur tibi peccata multa, quoniam dilexiſti multum. hunc caritatis ardorem, hic à nobis Deus, occultus ac latitans, exigit, has à nobis flammas expoſtulat. ſed quoniam noſtra ipſi ſponte frigidi ſumus, quoniam nive frigidius algemus, nunquam ardor hic aderit, niſi deſuper in nos immiſſus adveniat. id quod Eliæ ſacrificium oſtendit; ad quod inflammandum ignis de cælo deſcendit. ideo die Pentecoſtes alium tanquam ſibi parietem excitavit, cujus latebras ac receſſus adiret, ut inde vim numenque ſuum declararet, ut inde flammarum in nos globos ejacularetur. Quapropter, qui frigidus eſt, qui alget, qui tremit, accedat ad parietem hunc, jam caleſcet, jam ardebit, jam fervidas, radiantes, ignitas, divini amoris flammas longe lateque diffundet. Sed revertamur ad ſpon-

ſponſam, cui cum breviter alias quaſdam in hoc pariete feneſtras cancelloſque demonſtravero, finem ſtatuam orationi meæ. Diximus antea, parietem, ſub quo ſponſus latitat, externas eſſe panis vinique formas in auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento; diximus, eſſe Chriſti corpus feneſtras & cancellos, propter ſenſus, qui, tanquam viæ quædam, ad os, ad oculos, ad manus, à ſede animi, perforantur; diximus, per has rimas, ex omni tempore, non ſolum cupidos in nos oculos conjeciſſe; verum etiam per eas, perceptum ex noſtris miſeriis dolorem, ſuum in animum introduxiſſe. at, non fuit contentus his feneſtris, quas natura animo aperuiſſet, verum etiam multo ſibi plures alias ampliores que, in perforatò ex omni parte ac lacero corpore, patefecit. quam multas ibi feneſtras, ô ſponſa, ad res pulcherrimas explorandas & contemplandas aperuit! nam, ut de ceteris taceam, in ejus transfixo pectore, ſi paululum in illud mentis aciem intenderis, egregiam illam atque præſtantem divini ejuſdem amoris, quo te complexus eſt, formam aſpicies, cujus tanta eſt pulcritudo, ut nulla ſpecies ne excogitari quidem poſſit ornatior. hanc, à te ſponſus efflagitat, ut concupiſcas, admireris, & diligas. id ſi induxeris animum facere, eò te perducturum pollicetur, ubi ſe nullis, ut nunc facis, involucris tectum, ſed palam, ſicuti ille eſt, contempleris, totumque tibi adnectas atque conglutines. Non igitur (ut ad caput, unde tota hæc diſputatio exorta eſt, redeam,) pudeat nos, occultum & parietum quaſi integumentis conſtructum Deum, templis, aris, ſacerdotibus, ac puro in primis animo, proſequi; pudeat potius, veteres illos, à Chriſtiana religione abhorrentes, qui nos, hoc præſertim nomine, ſtultitiæ accuſabant, rebus longe infra ſe poſitis, vel ſaltem nihilo ſe melioribus divinum principatum tribuiſſe, neque illæ doctrinarum omnium inventrices Athenæ in eo ſe jactent, quod Deo ignoto, paſſim aras, per agros ſaltuſque, ſacraverint. non enim idcirco ignotum eum appellabant, quod præſtantiori, quam ipſi eſſent, naturà præditum eum arbitrarentur; ſed, quod re vera neſcirent, quiſnam ex iis, quos ipſi numerabant

in diis, ad depellendam eam luem, quæ Atticæ urbes regioneſque vaſtabat, ex Pythiæ reſponſo, ſacrum fieri oporteret. quamobrem Epimenidis Cretenſis conſilio factum, qui tum forte Athenis erat, ut hoſtiæ, per agros dimiſſæ, ibidem, ubi conſtitiſſent, mactarentur, & ignoto Deo, quo eſſet propitius, immolarentur. Deinde, ſi diligendus eſt à nobis, præter cetera, Deus, quomodo id, quod eſt ignotum, poterit noſtram ad ſe benevolentiam attrahere, quam ſibi non niſi res notæ, ac fama ſaltem & auditione perceptæ, conciliant? At nobis eſt facillimum, Deum noſtrum, ea qua poſſumus caritate, complecti; quia id, quod ſcimus, adoramus, veneramur, ac colimus.

PARADOXVM QVINTVM.

ADvolat ad te, præſtantiſſime Fabi, Paradoxum quintum, in quo explicando, quantum potui, ſum conatus, oratorem illum effingere atque ita exprimere, ut, quæ ſunt in illo inſignia atque admirabilia, conſectarer imitando, videlicet, ſermonis perſpicuitatem elegantiamque; quem oratorem, arcem eloquentiæ tenere, omnium ætatum, omnium ſeculorum conſenſus, omnium, qui recte judicare poſſent, ſententia declaravit. hic eſt M. Tullius Cicero. Neque me illud terret, quod eum videam à recentiorum rhetorum ſchola repelli, & in puerorum, quibus prima Grammatices rudimenta traduntur, manus amandari, tum ab eiſdem, cum paululum profecerint, utpote præſtantiori ſeque altius extollente dicendi genere dignis, removeri: immo in ejus amore, cupidius retineo. atque utinam me in iis numerari contingeret, quibus Cicero placere atque in amore ac deliciis eſſe, dicatur. nam id in ſumma mea laude ac gloria ponerem, quod ex Quintiliani ſententia, magnos in eloquentia profectus feciſſe exiſtimentur, qui, in Ciceronis ſcriptis legendis imitandiſque, admirabili voluptate afficiantur. Et, quo propius ad Ciceronis ſimilitudinem viderer accedere, quendam mihi finxi, in quem oratione mea acriter ac vehementer inveherem, qui quamquam ver-

bis id, quod ego dico, aſſereret, re autem ac factis, ab eodem longe multumque diſſideret. Paradoxum eſt hujuſmodi:

Quod nihil ſciat, qui ſe ipſum neſciat.

EGone Thaletem, Biantem, Socratem, vel quemquam ex iis qui in numero ſapientum ſunt habiti, quidquam noviſſe crediderim, quos faſtus, ambitio, ira, cupiditas, à ſui cognitione longius abſtraxerit? Quod ſi initium omnis ſapientiæ, ut divinitus inquit ille qui longe omnes mortales ſapientia anteivit, eſt timor Domini, qui timor à ſui ipſius cognitione præſertim emanat, egone eos, quos dixi, ſummum ſapientiæ faſtigium attigiſſe crediderim, qui, ne ad imas quidem ſapientiæ ejuſdem quaſi montis radices acceſſiſſe inveniuntur? Neque ſe Thales, vel quiſquis eſt ille, qui, princeps ex omnibus, laudabilem illam ſententiam protulit γνῶθι σεαυτὸν, nimium in eo ſe jactet, quod, tota in Græcia, aureis inſcripta literis legeretur, tantoque in honore haberetur, ut non hominis cujuſpiam ingenio excogitata, ſed à Deo ipſo profecta putaretur. nam iſtuc ipſum, unde ſummam ſibi ſapientiæ laudem uſurpare conabatur, ſumi poſſe pro argumento videtur, quòd nihil noverit, nihilque plane didicerit. cum enim contra præceptum ſuum veniret, quod minime ſibi notus eſſe vellet, & contra præceptum illud, omnium optimum eſſe conſtaret, nonne dedit exiſtimandi copiam, non eſſe illud ab ipſo profectum, ſed à Deo fluxiſſe, qui, illius ore, hominum generi tradere vitæ præcepta voluerit? Age vero, unde profectum exiſtimas, ut, nulla de re, ita fœdè, ita diſcrepanter, ita variè inter ſe veteres Philoſophorum ſcholæ diſſentirent, quam de finibus bonorum ac malorum, niſi ex eo, quod vera hominis dignitas ac conditio longiſſime ab eorum opinione, qui de re tam ardua diſceptarent, abeſſet? Rem miram! nullum arcanum veteribus illis viſum eſt dignius, in quo indagando inveniendoque, omnes nervos ætatis induſtriæque conten-

contenderent, quam locus & ſedes, ubi vera hominis felicitas tabernaculum ſuum collocatum haberet: attamen, nulla res fuit, in qua eorum aliqui flagitioſius ac pernicioſius errarent, quam in hac una. at omnis plane admiratio conſtiterit, ſi veniat in mentem, quemadmodum illi veram ſui notitiam ab ipſorum cognitione intelligentiaque remotam habuerint. etenim, quodnam eſſe hominis bonum definirent, qui hominem ipſum, qualis quantuſque ſit, funditus ignorarent? quonam demum illum eſſe perventurum affirmarent, ſi finem, cujus cauſa genitus eſt, ne ſuſpicione quidem poſſent attingere? at in quanta rerum ignoratione ſit neceſſe verſari eos, qui finem, qui totius veritatis eſt ſcopus, ignoraverint, ut ego non dicam, nemo eſt quin intelligat. quid mirum, ſi illi æternæ damnationis pœnam incurrerint? nam, quod Dei judicio damnemur, quod ſuppliciis addicamur æternis, id, Paulus Apoſtolus tradit, ex noſtri ignoratione contingere. ignorans enim ignorabitur; hoc eſt, in præmiis æternæ vitæ decernendis, nulla ejus ratio habebitur, qui ſe ipſum non noverit. At, huic, inquies, quod minitaris, dieculæ eſt; mors antea intercedat oportet, quam, in hujus ſententiæ terrorem, cum ceteris, qui ſe ignorarunt, includar; interea meus me hic error, ſive inſcitia, delectat, quia multas mihi vitæ voluptates affert, quibus carerem, ſi nimium in mei ipſius cognitione defixam mentem & intelligentiam haberem. Itane id, quo nihil miſerius, nihil horribilius cuiquam poteſt accidere, nimirum ut cæli aditu in perpetuum prohibeatur, quia abeſt, tibi cauſam affert, cur nihil voluptatibus deneges, ſed te in omnium vitiorum cœnum ingurgites? At, ſit hoc ſocordiæ, impendentem vim malorum, quamvis exploratam & certam, quia abſit, non ſolum non metuere, ſed etiam materiem luxuriæ & improbitatis habere: at illud quantæ ſtultitiæ eſt, ad ea quæ adſunt, quæque inhærent, damna, animum non advertere! converte in te ipſum oculos, &, quonam, ob ignorationem tui, redactus ſis, vide. at ſi tibi, ob ſtoliditatem tuam, id minus facere liceat, Pſalmographum audi, qui tibi diſertis verbis, & quid nunc ſis, & unde excideris, dicet.

cet. Mutaverunt, inquit, gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli, comedentis fœnum. primum enim ait, te ab hominibus ad boves tranſiſſe, quibus fœnum eſt cibus; tum, veteris jacturam gloriæ feciſſe. Qualis autem & quanta ea fuerit gloria, nemo tibi, Paulo Apoſtolo planius, exponet; qui in ea, quam ſcripſit ad Romanos, epiſtola: Mutaverunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem corruptibilis hominis. O permutationem miſeram! ô jacturam inæſtimabilem! gloria, qua te, ob ignorationem tui, turpiter abdicaſti, erat eadem atque Dei immortalis gloria. ut etiam David, jam ſibi per pœnitentiam notus atque perſpectus, vix aliter Deum, quam gloriam, quam decus, quam claritatem ſuam, appellet: Gloria mea, Deo inquit, & exaltans caput meum. O rem fœdam! quia tibi minime notus eſſe voluiſti, ad beſtias diſceſſiſti, quæ vim & naturam intelligendi non habent; quia beſtiarum pabulum adamaſti, Dei gloriam, qui naturæ tuæ dignitati conveniens eſt cibus, abjeciſti, ac pro illa amplexus es fœnum, quod ſuam in alvum pecudes congerunt. id nunc, infelix homo, palato tuo ſapit, id concupiſcis, id devoras. At, ſi quæras, quodnam ſit iſtud fœnum, cujus ita ſis avidus, quodque Dei gloria commutaveris; Iſaiam interroga, qui tibi reſpondebit, illud eam eſſe carnem, unde conflaris. Omnis quippe caro fœnum. Quis non plus, quam ſibi utile ſit, experitur, omnes hominis cogitationes & ſtudia ad voluptates corporis tendere, atque, ut in eodem ſimili verſer, tanquam animalia bruta ora oculoſque in eas, quaſi in aliquod fœnum, converſos habere? Quam hominis propenſionem & ſtudium animadvertens Deus, inexplicabili ratione voluit experiri, num ipſe, fœnum pro nobis factus, noſtras poſſet ad ſe voluntates allicere. itaque, Verbum carò factum, ſe in præſepe, quo pecudes ad paſtum conveniunt, ubi ſolet fœnum collocari, projecit, quo ipſum comederemus. nam, Caro mea, inquit, vere eſt cibus. Tantum igitur homini dedecus & damnum, ut cum feris beſtiis in comparatione jungatur, ſui ipſius ignoratio peperit; tantam tamque deflendam appetitionem mutationum, ut pro cælo terram,

pro

pro Dei gloria fœnum, hoc eſt, carnis illecebras, expetat, hæc eadem ignoratio perfecit. Et quiſquam, qui ſe humanitatem exuiſſe, & feritatem tamquam veſtem aliquam induiſſe, qui repudiatis iis, qui ſunt inventi in hominum uſum, cibis, in ſe fœnum ingurgitare non animadvertat, ſed id totum ſit à cognitione ſua ſejunctum, quidquam notitia, quidquam ſcientia comprehenſum habere ſe, dixerit? Sed tu miſer homo, qui in tam denſis tamque obſcuris ignorationis tenebris jaces, num omnibus plane miſeriis defunctus es? minime. nam ſi pergis in hac tui ipſius ignoratione verſari, neque, ex illis emergens, properas in tui ipſius notitiæ lucem exire, in aliud etiam longè deterius malum incurres. etenim, quamvis homo, ut diximus, ſimulac ſui ipſius notitiam abjecit, à ſe ipſe diſceſſerit, & in pecudum greges tranſierit, hoc eſt, ut inquit David, factus ſit par ſimiliſque animantium ceterorum, quia, cum in honore eſſet, non intellexit, ſed comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis; attamen, ſi hujus quoque calamitatis notitia carueris, ſi eam ab intelligentia tua rejeceris, longè te illis deteriorem inferioremque reddideris. nam cetera animantia, ſi naturam ſuam ſequantur, ſi ſe ab appetitu huc & illuc rapi permittant, in Dei judicium, vita iſthac, quam vivunt, defuncta, non venient: at tu, niſi reſipiſcas, niſi, Deo auxiliante, des operam, ut ex beſtiarum vitæ ſocietate egrediaris, teque in veterem hominis ſtatum dignitatemque recipias, niſi libidines tuas, in omnem intemperantiam, id quod faciunt beſtiæ, geſtientes erumpere, intra rationis fines cancelloſque, quod homines faciunt, cohibeas, ad horrendum tribunal Chriſti rapieris, acerrimo apud eum judicio diſceptaturus. Huc illud ſpectat, quod Iudæ interminatus eſt Chriſtus; Melius erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Nonne, ex iis verbis, peſſimus ille diſcipulus, ille, inquam, poſt homines natos longe deterrimus atque ſacerrimus, magiſtri ſui proditor; ſi quis in eo ſenſus, ſi qua mens, ſi ratio fuiſſet, potuit aperte colligere, pejori loco ſuas res eſſe, quam ceterorum omnium animalium? non enim nude ac ſimpliciter Chriſtus poſuit, è re Iudæ

futurum fuiſſe magis, ſi natus omnino non fuiſſet; ſed, ſi natus non fuiſſet homo, hoc eſt, melius ſecum actum iri, ſi aliud quidvis potius animal ortus eſſet quam homo; nimirum equus, ſus, ſimia, bos. nam, quia hominis dignitate, cujus erat oblitus, ut par erat, uti minime voluit, juſto Dei judicio damnatus, æternis pœnis ſuppliciiſque mandabitur. In quo præſertim magnum illud diſcrimen inter eam ſcientiam quæ de nobis eſt, aliaſque quæ rerum omnium humanarum vim naturamque complectuntur, agnoſcitur. nam ceteras artes ignoraſſe, nemini, quod ſciam, fraudi fuit; at, ſi in hac una rudes inveniamur, actum eſt illico, perivimus. deinde, ceteræ ſcientiæ non parum ſæpe multis, in quibus eæ erant, obfuerunt. etenim, ſumma illa vis doctrinæ, eorum, à quibus ea percepta fuerat, animos ſuſtulit, inflavit, à Dei cultu obedientiaque ſejunxit: at ea, quæ, de hominis notitia eſt, nunquam non iis, qui eam percepiſſent, utilitates maximas attulit; ac, ſi non alius ex ea fructus extaret niſi ille, quod elatos deprimit, inflatos extenuat, contumaces atque rebelles Deo ſummittit, vel propter hanc cauſam ſumma ab omnibus opera danda ſit, ut eam perceptam animo & comprehenſam intelligentia habeant. Quam multæ per eam nobis naturæ neceſſitates aperiuntur! quam multa, quæ ſemper nobis ſunt parata, pericula patefiunt! quam magni ærumnarum miſeriarumque montes, tanquam ille fulgens Dionyſii gladius è lacunari ſeta equina appenſus, cervicibus noſtris impendent, ad quos cavendos, vix ſatis interdum parati eſſe poſſimus! hæc igitur, ante oculos poſita, ſuperbientem ſubvertunt, atque in memoriam ſuæ conditionis, à qua receſſerat, revocant. quis enim ſit tam ſtultus, qui ex propriis miſeriis efferatur animo? quis tam excors, qui, eiſdem ante oculos ſibi ſubjectis, non elationem omnem abjiciat, non pro ſecuritate metum, pro voluptate dolorem, pro hilaritate mœrorem luctumque ſuſcipiat? nonne legiſti in Eccleſiaſtico, eſſe ſcientiam in mundo, quæ dolorem parit & luctum? Qui, inquit, apponit ſcientiam, apponit dolorem. Hæc hæc eſt illa ſcientia, quæ, percepta animo, & memoriâ retenta, ægritu-

dinem ac dolorem inurit. hæc hæc eſt illa notio, cujus qui ſunt compotes, arrogantiam & ſpiritus, ſi quos ſuſceperant, ponunt, evolantes effugienteſque à ſe ipſis animos retrahunt, atque in ordinem redigunt; in quo ſunt omnia. nam, quemadmodum initium omnis peccati, hoc eſt, omnis inſcitiæ, ſuperbia; ita etiam ſolum ac fundamentum omnis ſapientiæ, eſt animi vera demiſſio. Tertio, hoc intereſt inter hanc ſcientiam aliaſque notiones quibus imbuimur, quod, ſi unam ex ceteris ſcientiis perceperis, non continuo alteram noveris, niſi perdiſcas. verbi gratia, qui Mathematicam tenet, non ſtatim Philoſophiam aſſequitur; vel, ſi gnarus ſit Philoſophiæ, non idcirco eſt Iuris civilis peritus, niſi ad illud percipiendum accedat. verum, qui in hac ſcientia elaboraverit, nullo fere alio labore, nulla fere alia opera adhibita, in altera etiam, maxima ac præſtantiſſima, ac ſaluti noſtræ in primis neceſſaria, doctus exiſtet; nimirum in Dei immortalis notitia. quid enim Deum tam nobis aperit, atque adeo penè ante oculos ſtatuit, quam miſeriarum noſtrarum aſpectus? ad quas ſi te convertas, confeſtim in Deum abripi ſentias. Ad me ipſum, inquit David, anima mea conturbata eſt; propterea memor ero tui, de terra Iordanis & Hermoniim; hoc eſt, de terra execrationis conjectos in te oculos habui. Quæ verba hanc habent omnino ſententiam: quoties David, ex ſui ipſius notitia, tum communes tum proprias miſerias in conſilio haberet, toties, de corde demiſſo, ac veteris vitæ peccata execrante, ad Dei clementiam miſericordiamque confugeret, ac per hanc rationem, ſummam de Deo notitiam aſſequeretur; cujus omnipotentia ſit maxime, parcendo miſerandoque, conſpicua. ut, quo quiſque in cogitationem ſcelerum flagitiorumque ſuorum ingreſſus, ad altiorem eorum cognitionem intelligentiamque pervenerit, eo etiam (ſi ad aram divini auxilii miſericordiæque confugerit, & veniæ compos redierit) majorem tum eximiæ Dei, in condonandis injuriis majeſtati ſuæ illatis benignitatis, tum in omnibus, qui ſuum in complexum confugerint, amplectendis, amoris, ſcientiam ſit accepturus, &, quod eſt conſequens, ma-

 jus

jus vehementiuſque, ad ipſum omnibus animi viribus diligendum, ſtudium conſecuturus. unde ortum exiſtimamus, ut Maria Magdalena præ ceteris ardentiori in Chriſtum amore ferretur, adeo ut, Chriſti ipſius teſtimonio, remiſſa illi fuerint peccata multa, quoniam dilexerit multum, niſi quia tum Chriſtum, præ ceteris, cognitum habuit? unde autem tantam hanc Chriſti notitiam illi contigiſſe, dicendum eſt, niſi ex cognitione ſui ipſius, eorumque flagitiorum, in quibus ejus libido prolapſa eſt, dum lubricas adoleſcentiæ vias, in quibus ſine caſu ac prolapſione conſiſti vix poteſt, perſequeretur? Quarto, in aliis ſcientiis qui errat, indoctus imperituſque exiſtimatur; in hac verò qui fallitur, excellens habetur, planeque perfectus. quod ne tibi incredibile videatur, dupliciter aliquem in cognitione ſui ipſius contingit errare; primum, ſi ſe meliorem, quam re vera ſit, putet, ac ſi ſe ceteris anteponat. atque hic error, cum ortum habeat à ſuperbia, in maxima ſui ipſius ignoratione hominem verſari convincit, atque, aliud quidvis magis ſibi notum eſſe, declarat, quam ſe ipſum. alter vero error eſt, ſi quiſquam, multis ſe partibus deteriorem, quam ab aliis inveniatur, agnoſcat: at hic error, non modo nullis nos errorum ambagibus implicat, ſed implicatos abſolvit, & reducit in viam. Cujus rei demonſtrandæ gratia, neceſſe eſt de ea paulo altius ordiri, ac repetere memoriam eorum, quæ à D. Gregorio Magno in libris Moralium non magis docte quam pie religioſeque, traduntur, qui, Secluſum, ait, ab æternis gaudiis genus humanum, ita exigente culpa quam contraxerat, mentis oculorum aciem amiſit. Itaque miſerum, oculis captum, utrum ad ſuperos an ad inferos tendat, ignorat. neque, quod quiſquam, cæleſtibus perfuſus gaudiis, totum ſe Dei amore prope diffluere ſentiat, neque, quod res novas, admirabiles, ac præter naturæ ordinem edat, debet eſſe illi argumento, quod Deo penitus hæreat, ita ut ab eo diſtrahi nequeat. nam ea ad tempus cum Deo propinquitas & conjunctio, perpetuæ ab eodem diſtractionis cauſam forſitan ipſi pepererit, ſi videlicet niti vana quapiam ſui fiducia cœperit. ex contrario,

non ex eo quod quiſquam, ab omni ſolatio deſtitutus, plurimis vexetur incommodis, quod crebris tentationibus oppugnetur, quod vix queat animum ad res divinas & immortales adjicere, efficitur atque concluditur, maximo eum intervallo à Deo disjungi; cui fortaſſe ille dolor atque vexatio arctius adſtringit ac colligat. Omnino ſic ſe res habet, ut acceſſus receſſuſque Dei, à nobis minime mentis noſtræ oculis percipiatur ac cognoſcatur. id quod Iobus intelligens; ac ſerio animadvertens, arcana ſpiritualia myſteria non eſſe nobis obvia atque aperta, ſed, magna ex parte, interclusa atque obſtructa, hunc de Deo ſermonem inſtituit: Si venerit ad me, non videbo eum; ſi receſſerit, non intelligam. Verùm, quamvis iſtud ſit nobis obſcurum ac tectum, certe illud eſt omnibus apertum atque dilucidum, elationem animi & ſuperbiam quam longiſſime à Deo, qui alta à longe cognoſcit, nos ſejunctos habere; demiſſionem vero ſubjectionemque eidem arcte conſtringere. Quamobrem, qui animos, quantum poteſt, demittit, qui, ſe eſſe infra omnes homines, putat, hic longe ſapientior ac doctior eſt eo, qui locum probitatis ſanctitatiſque, in quo, tanquam ea ita ſit ſibi nota ut illa quæ oculis cernuntur, temere ſe collocavit, mordicus tuetur ac retinet. Si certum atque exploratum nobis eſſet, quem quiſque locum ac numerum apud Deum haberet, nihil eſſet neceſſe, elatiorem vel demiſſiorem animum gerere, quam veritas ipſa ratioque permitteret, ſed talis in opinione ſua maneret, qualis re vera eſſet. verum, quoniam id nobis, dum vivimus, Deus denſa obſcuraque caligine tectum voluit eſſe, ſummæ ſapientiæ eſt, ex Chriſti conſilio, recumbere in noviſſimo loco, hoc eſt, cuivis cedere, faſtigiumque ſummittere. ſi quopiam, paulo humiliori oſtio, introeundum ſit nobis, nihil noceat, uſque eo caput demittere, ut humum attingat; noceat quidem certe, digito illud altius attollere; nam, in ſuperliminare incurrentes, ab ejus duritia rejiciemur, ac vulnus etiam accipiemus. cæli portæ demiſſiſſimæ ſunt humillimæque, ex quo fit, ut, niſi, ex Chriſti præcepto, efficiamur ut parvuli, omnis noſter, ad illuc introëundum,

dum, labor atque conatus futurus ſit inanis atque irritus; quoniam, ſi tantulum caput extuleris, fruſtra te illuc impellas. Sed illa Salvatoris noſtri verba: Recumbe in noviſſimo loco; non ſunt leviter ac ſtrictim percurrenda, ſed diligenter ſuis ponderibus examinanda. cur enim dixit, Recumbe in noviſſimo loco, & non, inter noviſſimos? ideo nimirum, ne exiſtimares, tibi fas eſſe, in aliqua probitatis vel alterius cujuſpiam virtutis laude, te cuipiam parem efficere, nec aliqua eidem in re inferiorem eſſe fateri, ſed intelligeres, æque tibi pernicioſum fore, ſi te alteri anteponere, ac ſi eidem exæquare contenderis. Sed quoniam jam mea hæc in fine laborat oratio, hac una Gregorii Nyſſeni ſententia, quod eſt à me dictum, explebo. Placetne tibi, omnium peccatorum tuorum ſordes eluere? (ecquis enim eſt, cui id placere non debeat?) da operam ut tui ipſius notitiam aſſequaris. hac nimirum adepta, continuo, quidquid per ignorantiam admiſeris, id eſt, quidquid quapiam in re deliqueris, tanquam macula aliqua abſtergetur, neque aliquod vel minimum ejuſdem veſtigium apparebit. nam, quod eſt peccatum, quod non ignorantia pepererit? Omnis errans, ut inquit Ariſtoteles, libro ſuorum moralium ad Nicomachum primo, ignorans; id adeo, quia in eligendo decipitur; etenim, quæ ſunt rejicienda, eligit, quæque rejicienda, complectitur: at ignorantia, quæ ab electione progreditur, ſola cauſa pravitatis eſt atque nequitiæ. Quamobrem, ſi, de te altius atque elatius, quam par eſt, ſentiendo, in omnium te rerum ignoratione poſueris, contra, ſi, in poſtremo ac poſito infra omnes homines loco, te collocando, ad altiſſimum ſapientiæ culmen eveheris; quidnam eſt aliud, in quo magis elaborandum eſſe arbitreris, quam, ut hac humili ac demiſſa de te opinione imbuaris? ſi quidem in ea, ſui ipſius cognitio, tam ad beatam vitam neceſſaria, conſtituitur.

PARA-

PARADOXVM SEXTVM.

NOn poterat Paradoxum hoc ſextum, Fabi ſapientiſſime, ad quod explicandum, Tullianam dicendi vim atque rationem, quod in me fuit, ſum conatus afferre, à ceteris, quæ hactenus ſunt enarrata, divelli, cujus hæc eſt ſententia:

Quod ſolus ille ſecure quieſcat, qui acrius evigilet.

ETenim tantum pono eſſe præſidii in vigilantia, ut, niſi iis virtutibus quaſi cuſtos addatur, quarum amorem, ſuperioribus Paradoxis, in animis noſtris excitare ſtuduimus, continuo eædem contrariis vitiis futuræ ſint prædæ atque ludibrio. Et ut ad rem propius accedam; quidnam eſt, quod in Euangelio pluribus, nobis, & efficacioribus verbis commendetur, quam vigilantia? Huc ſpectat parabola de decem virginibus, quæ, acceptis lampadibus ſuis, exierunt obviam ſponſo; huc ſervi illi referuntur, quorum nos Chriſtus eſſe quam ſimillimos cupit, qui ſumma cum vigilantia expectare dicuntur dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis; huc denique alia non pauca pertinent, quæ ſimilitudinibus, tanquam coloribus, expreſſam ſummam illam vigilantiam nobis ante oculos ponunt, qua pariter omnes præditi eſſe debemus, ut otioſo animo atque ſecuro tutam ab inimicis noſtris, tum apertis tum occultis, vitam agamus. Ac merito, in hac nobis virtute tradenda conciliandáque, aliquanto pluribus verbis utitur oratio mea. etenim, innumerabili propemodum multitudine hoſtium circumvenimur, occultiſſimis furum inſidiis obſidemur, bello acerbiſſimo premimur. clamat D. Auguſtinus: Prorſus, fratres, certamen eſt; aut occides iniquitatem, aut occideris ab illa. Non parva res agitur, ſed omnium maxima in diſcrimen adducitur, noſtra videlicet ſalus. aut enim perpetuis vigiliis eſt adverſarius procul à nobis habendus, aut, ſi tantulum oculos dejecerimus, ejus ferri crudeli-

tas

tas ſubeunda. Quid ergo? vigilandum, metuendum, nunquam quieſcendum, ut tuto dormias, ut ſine metu vivas, ut ſine cura quieſcas. nunquam imperator, nunquam exercitus, minus eſt in metu, quam cum obſidetur à metu; nunquam ſecurius dormit, quam cum in armis excubat; nunquam tutius quieſcit, quam cum in munitionibus obeundis occupatur. Epaminondas, imperator ſummus ac nobilis, in locis apertis atque patentibus, jubebat, milites ſuos ſcutorum loris inſertas ſemper manus habere, quia, ſi ſubito pugnandi neceſſitas eſſet, nihil à loci ſitu atque natura adjuvarentur, ſed omnem ſpem ſalutis, ſuis in dextris ſitam, haberent; at vero, intra montes poſitos, ſolutiore eos animo patiebatur eſſe; quod, ſatis præſidii, ad hoſtium incurſiones propellandas, putabat eſſe in montibus & collibus, quibus circummuniebantur. Ante caſum & prolapſionem Adæ, res erat nobis cum hoſte, noſtra nondum ſtultitia armato atque robuſto; intra montes colleſque pugnabamus. quam altus, quam longe munitus, ut ita dicam, mons erat, juſtitia originalis! quam arduus ac difficilis ad expugnandum locus, liberum hominis arbitrium, integrum ac validum! his montibus à peccato ſubverſis ſoloque æquatis, in campeſtri regione relinquimur; liberi arbitrii fracti ac debilitati reliquias ipſi male colligimus, validiſſimis hoſtium potentiſſimorum exercitibus undique cingimur. quid ergo? ſemper eſt metuendum, ſemper vigilandum, ſemper ſtandum in armis. Explodantur igitur Stoici, qui ſapientis animum ab omni prorſus perturbatione ſecludunt, quod perturbationes animi, ut ajunt, ex opinione boni vel mali naſcantur; qua opinione cum ſapiens non ducatur, quia nihil eſt opinio niſi aſſenſio falſa, quæ abeſt à ſapiente longiſſime, conſequens eſt, ut perturbationes nullo modo animum ſapientis attingant. non audiantur Peripatetici, qui, tametſi negent, perturbationes ejuſmodi ex opinione tantum exiſtere, ſed eas etiam velint, ex ſenſu & ex phantaſia prodire, ideoque communes nobis eſſe cum beſtiis, ajunt tamen, ita eas poſſe in poteſtate hominis eſſe, ut nullam excitare ejus

in

in animo permotionem audeant. unde temperans, apud eos, is eſſe deſcribitur, qui ejuſmodi motus ita rationi ſubjectos obtemperanteſque poſſideat, ut, in ſumma tranquillitate, virtutis bono potiatur, qui vero perturbationes, animum oppugnantes, fortiter ſuſtinet, atque etiam ſuperat, hic jam non temperans, ſed continens, ab eiſdem appellatur. Sed errant, falluntur, decipiuntur, aut nos falli ac decipi volunt. non eſt loci hujus nec temporis, hæc tanta pax & tranquillitas, ut nunquam cupiditates noſtræ contra rationis imperium commovere ſe audeant, cum caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem; ſed bene nobiſcum agitur, ſi hos eoſdem motus, cum concitantur, reprimamus, & rationi obſequentes eos eſſe cogamus. ad quam rem opus eſt vigilantia, opus eſt aſſiduitate, opus eſt pugna, eaque pugna, quæ non certis annorum ſpaciis terminatur, ſed cum vita finitur. Hinc vir ille ſanctiſſimus, qui multas & egregias adverſus cupiditates ſuas pugnas ediderat, ac ferme jam moriens, mulieri, quæ, tentandi gratia an animam exhalaſſet, ſe familiarius in eum rejecerat, Fuge ſis, inquit, adhuc igniculus viget in corpore, adhuc certaminis ſupereſt locus. Sed, quænam, obſecro, ſine vigilantiâ, ſecuritas, in ea vitæ ratione, ſe offerat, quæ planè nihil eſt aliud, niſi tentatio, niſi militia? quamobrem, cum ſemper præſto ſint hoſtes, cum ſemper ſit cogitandum de bello, quo nos periculis eximamus, quo hoſtium manus effugiamus, quo nos tutos reddamus; quid opus eſt, niſi, ut omnis fere ab oculis ſomnus excludatur, omnis ſocordia pellatur, vigilantia advocetur, adſit, retineatur, perpetuis diurnis vigiliis nocturnæ jungantur? Verum, cum duo ſint ſomni genera, unum corporis, quo deperditæ ejus vires reparantur, alterum animæ, à quo nihil illa juvatur, ſed potius omni facultate ac viribus exuitur; videndum eſt, utrum horum à nobis potius pellendum removendumque eſſe videatur. Somnus corporis eſt neceſſarius in primis. nam, ut inquit Ariſtoteles, manibus ac pedibus, reliquiſque membris, certum quoddam à natura definitum eſt tempus,

pus, ſe movendi agitandique; quo elapſo, ſi illa pergant agere, nec conſopita conquieſcant, ad interitum, eſt neceſſe, ruant. at ſomnus animæ, cujus vis nullâ unquam vigiliâ fatigatur atque minuitur, nunquam non eſt pernicioſus ac malus. poteſtne ſomnus ille eſſe non malus, qui Deum nobis delet ex animo? immo, ſi quæras, quid ſit ſomnus animæ, reſpondebit tibi Auguſtinus, nihil eſſe aliud, niſi indignam ac fœdam Dei oblivionem atque contemtum. Itaque, quæcunque anima, egregia Dei in ſe beneficia, ingratâ oblivione contrivit, hanc, lethali veterno gravatam, alte ſomnus oppreſſit. Nihil de ſomno corporis cogitabat Apoſtolus, cum diceret; Surge qui dormis, & exurge à mortuis; ſed erat conſilium, eum à nobis ſomnum excutere, qui Dei memoriam, ut diximus, eripit, arcte animum alligat, eique æternum damnum & interitum affert. Vna dumtaxat in re ſomnus animæ eſt corporis ſomno non abſimilis, quod ſicut hic, præſertim noctis acceſſione, concipitur, ita etiam ille, gratiæ luminis deceſſione contrahitur, neque fieri poteſt, ut, eo præſente, aliquis animæ ſomnus illabatur & cadat. Hujus luminis nitori David, de ſe ipſo loquens, attribuit, quod ſemper alacer, ſemper erectus, oculos non declinet in ſomnum; huic eidem lumini refert acceptum, quod, omnis impatiens quietis, perpetuas Deo, autori ſuo, vigilias agat. Deus Deus meus, inquit, ad te de luce vigilo. hoc eſt, quia hæc mihi lux, ait, elucet, ideo ſomnus meis ab oculis abeſt; quia hic mihi ſplendor, mentis aciem ferit, ideo exoneratus omni ſopore animus, potens eſt ſui. in qua cogitatione acriter vehementerque defixus, nihil à Deo anxius orabat, quam, ne ea ſibi lux unquam occideret. etenim, ſi id mea culpa contingat, præſto eſt frigus, ajebat, & inexpugnabilis dormiendi neceſſitas. Illumina, humilibus ac demiſſis Deo precibus, meos, ajebat, oculos, ne unquam obdormiam in morte. ſed, poſt obitam à Chriſto, pro ſalute humani generis, mortem, quo tempore, ut inquit Apoſtolus, nox receſſit, dies appropinquavit, ea in omnes vis luminis

minis ſeſe diffudit, jam ut nemini lux poſſit deeſſe, niſi cui, eadem ſpreta atque contemta, fixum ac deliberatum fuerit, tenebras perſequi. Quid eſt, quod Deus, Paſchatis feſtum, in decimamquartam lunam rejecerit, niſi ut perpetuum illum nobis diem, nullaque noctis viciſſitudine interruptum, oſtenderet, quem tranſiens ex hoc mundo ad Patrem Chriſtus aperuit? tum enim, ſuccedente ſtatim luna, ſolis lumini nulla nox intercedere, ſed dies quodammodo propagari ac proferri videtur. quamobrem eruti de poteſtate tenebrarum, & in luce clariſſima conſtituti, nihil poſthac de ſomno cogitemus, ſed ita mores formemus, ut diei ac lucis reverentia poſtulat, vel, ut Nyſſeni verbis utar, omne tempus, quod nox dieſque metitur, virtutibus illuſtratum nulliſque tenebricoſis actionibus permiſtum traducamus. O lucem claram, ô diem pulcrum, venuſtatiſque pleniſſimum, dignum ſole illo, qui eum nobis advexit! lux iſta, niſi totos dies dormire conſtituiſti, omnem tibi de hoſtium inſidiis formidinem auferet, vires atque animum addet, ſecuritatem & otium adducet. nullæ ferme, in luce, metuuntur hoſtium inſidiæ, quæ in tenebris plerunque locantur. hoſtes, quibuſcum nobis res eſt, in tenebris vigent, noctu decernunt, dormientibus nobis, animos ſumunt, viribus valent, ſævitiam exercent. qui quidem hoſtes in duplici varietate verſantur. aut enim extra nos aut intra, ſe caſtris præſidiiſque munierunt; utriſque lux obeſt, utroſque excubiæ vigiliæque proſternunt. ac primum interni (appetitus videlicet noſtri) ecquando, tanquam ſordida quædam mancipia & fugitiva, deficere à rationis imperio, cui animi totius dominatus tributus eſt à natura, conantur, niſi cum tenebras immigrare in animum patimur? tum ſervi illiberales dant operam nequitiæ, tum aliquid domo auferunt, tum fugam adornant, cum Dominus dormit, vel cum terras nox opacavit: at illo experrecto, vel toto cælo luce diffuſa, nihil tale audent, vel, ſi quid conentur, facile reprimuntur, & in officio retinentur. ita etiam appetitus tum noſtri ferocius inſultant, tum audacius in

res

res impermiſſas irrumpunt, cum ratio ipſa connivet, vel cum, ſuo lumine deſtituta, in tenebris jacet. noſtra deſidia atque ſocordia, ſævos illos ac validos experimur; dormientibus nobis, atque aliud agentibus, illorum opes firmantur ac creſcunt, noſtræ debilitantur ac minuuntur. incidat mediocris occaſio peccandi duobus, quorum alter in perpetua quadam vigilia maneat neque uſquam oculos à ſe ipſe dejiciat, alter vero, ſomno deditus, ſuos adverſus ſe appetitus inſtruxerit atque armaverit; jam non erit difficile, de utriuſque exitu judicare. dicam enim, experrectum illum, ac diligentem, certaminis ſuperiorem abiturum; hunc ſomniculoſum ac ſegnem, poſt levem pugnam, occaſioni eſſe manus daturum. quid? tam levi certamine laceſſitus, non reſiſtet, ſed cedet? leve quidem certamen eſt, ſed levior animus, qui in eo verſatur. non incommode, apud Antigonum Regem, reſpondiſſe fertur non ignobilis medicus, Chryſippi diſcipulus, qui cum amicum Regis quendam, notæ intemperantiæ, morbo aquæ inter cutem leviter implicitum, negaſſet poſſe ſanari, ex altera vero parte, medicus Epirotes Philippus, ſe ſanaturum polliceretur, reſpondit, illum ad morbum ægri inſpicere, ſe ad animum. neque evenit ſecus, quam dixit. nam intemperans ille, ſumma diligentia, tum medici, tùm Regis, cuſtoditus, urinam ſuam bibendo, & malagmata devorando, veram prudentis medici prædictionem effecit. itidem, qui in tenui occaſione peccandi, certam ſomniculoſo illi & ignavo victoriam polliceatur, hic ad rationem pugnæ reſpiciat; qui vero turpem eidem deditionem prædicat, pugnantis animum imbecillitatemque intueatur. omnino ſic ſe res habet, ut ille habiturus ſit cupiditates ſuas in poteſtate, qui, mature, reſiſtendi vim animumque ſuſceperit, ille etiam exoneraturus animum ſolicitudine, qui in perpetua ſui vigilia ſibi manendum eſſe ſtatuerit, qui vero, ſæpius cedendo, vires ſuas debilitaverit, inimicorum auxerit, qui dormitando, quieſcendoque, ſe inhabilem, eos vero maxime ad pugnam aptos effecerit, hic inquam, majus ſit habiturus cum illis negotium. Hactenus de internis hoſtibus, qui, ut virtus vel ignavia in nobis ſuperat, ita magni, vel humiles ſunt.

ſunt. O vos, qui externos hoſtes tantopere perhorreſcitis, ô vos, qui ad ſolum Dæmonis nomen exhorretis, ac toto corpore contremiſcitis; omnes quotquot ubique externi ſunt hoſtes, qui injuriis, contumeliis, inſectationibus, rapinis, vobis negotium faceſſere conantur, omnes quotquot impiorum ſedes Dæmones habent, qui ſuis vos inſidiis ſecum in exitium ſtudent attrahere, omnes, inquam, me autore, deridete atq; contemnite, ſi internos ſubjicere ac conculcare aſſueveritis. nam quidquid foris eſt Dæmonum atq; hominum, nihil fere contra nos poteſt, niſi ſua quis cum illis arma conjunxerit. etenim cum adverſus nos pugnant, noſtris opibus ac viribus pugnant, cum acrius vehementiuſque deſæviunt, in noſtris caſtris præſidiiſque verſantur. tolle ab animo iracundiam, invidentiam, libidinem, ceteraſque ejuſmodi perturbationes, vel ſaltem rationi obſequentes redde; continuo ceteri hoſtes, auxiliis amiſſis, animoque conſternati fugam arripient, ac non modo tuum impetum non ferent, ſed nec vultum quidem ſuſtinebunt. Atq;, ut ad lucem illam revertamur, quam, ut diximus, nobis Chriſtus aperuit; ſi proprium eſt lucis, cum offunditur oculis, ſomnum avertere, neque iſta divina luce quidquam eſſe poſſit illuſtrius, quid eſt cauſæ, inquies, cur in ea tam multi dormire cernantur? faciunt opinor iſti plane idem, quod ii, quibus ſomnus meridianus eſt in deliciis, qui, ne oculi offendantur à lumine, ſcapulas ſoli obvertunt, itaque luce ſecluſa, faciles, intra oculos, ſomnos admittunt. nam, quæ alia poteſt eſſe ratio, cur divinus hic ſplendor alios illuſtret, incendat, exurat, nihil autem oculos iſtorum verberet, niſi quia alio converſam faciem habent? eheu, quantum eſt mali in iſto ſomno meridiano! quantum ſecuritatis ociiq; in vigilia! quid habeat incommodi ſomnus, de prandio, inprimis indicat Iſboſeth, qui, niſi, cum diei tempus maxime ferveret, hoc eſt, meridianis horis, ſuper lectum ſuum in conclavi ſomnum iniiſſet, à Rechab & Baana in inguine percuſſus non interiiſſet. neque quidquã eſt quod dicas, Egomet apponam mihi cuſtodes qui pro me vigilent, virtutes videlicet meas, quas tanquam adminiſtras & pediſſequas habeo, hæ dormientem me tuebuntur, atque in hoſtium poteſtatem venire non ſinent. nam tota

erras via. quidnam juvit Iſboſeth ancilla oſtiaria, quæ, præ foribus domus, triticum purgabat? num, ea cauſa, latus ejus magis munitum ab inimicorum incurſibus fuit? nihil; immo ipſa quoque eſt delapſa in ſomnum. ipſe tu vigiles neceſſe eſt; nam, te vigilante, virtutes quoque tuæ in vigilia manebunt, in armis conſiſtent; ac, te dormiente, illæ quoque una cubabunt, dormitabunt, reſiſtendi uſum amittent. Solent, quos hoſtium metus exagitat, ſi omnes urgeat, minime, quietis cauſa, toto corpore fuſi recumbere, ſed vel haſtas vel parietes vel arbores pro cubilibus habere; ad eas enim ſe applicant, ibique, capite paululum reclinato, ſtantes, naturæ neceſſitatique ſatiſfaciunt. at nos, quos major vigilandi neceſſitas urget, quibus acriores vigiliæ imperantur, quibus omnis plane ſomnus interdicitur, ea libidine dormiendi tenemur, ut non ſtantes quietem capere, non furtim ſomnum arripere, ſed, quo otioſius nos ſomno tradamus, partim lectulos ſternimus, partim cubilia paramus, partim, defoſſis altè terræ viſceribus, ſcrobes efficimus, ubi longius à ſole cubemus, partim etiam, voluntate conſimili, ſed ſtudio diſpari, in ſummis arboribus, vel in aſperrimis ſaxulis, tanquam nobis, nidos affingimus. Vulpes, inquit Chriſtus, foveas habent, & aves cæli nidos. vulpes vocat avaros, rapaces, ad rem, quam ad ſalutem, aut ad aliquam aliam animæ utilitatem, attentiores; avibus cæli ſimiles dicit ambitioſos & ſuperbos, qui ſemper edita & excelſa honorum loca ſectantur. Sunt alii, quorum etſi Chriſtus non meminit, ſe tamen frequentes oculis noſtris objiciunt; hi ſunt libidinoſi, qui, tanquam ſues, totis veſtigiis hærent in luto. iſtorum, qui ſe in hujus vitæ commodis & voluptatibus exquirendis perfruendiſq; collocarunt, proprius ac peculiaris eſt ſomnus. at Chriſtus & Chriſti ſimiles, qui ab ejuſmodi rebus animum & cogitationem avocarunt, non habent, ubi caput reclinent, hoc eſt, nihil ſibi in his rebus ad quietem ac ludum excogitant. quid opus eſt verbis? omnino iſti vigilant, illi dormiunt; iſti ſecuritate & ocio diffluunt, illi ſemper in metu periculoque verſantur; iſtorum vigiliæ, vitæ rationem habent, illorum ſomnus, mortis imaginem gerit. & ſane, ut recte etiam Chryſoſtomus animadvertit, peccantium

omnium vita propior eſt ſomno, quam vigiliæ; quæque illi ſuperbe, avare, crudeliter, libidinoſeque committunt, non procul ab iis viſionibus abſunt, quibus dormientium mentes in quiete pulſantur. hinc Davidicum illud prodiit: Dormierunt ſomnum ſuum viri divitiarum. quam multa admittere videmur in ſomnis, partim ſtulta, partim nefaria, partim ſcelerata! hic videtur patri manus impias afferre, hic miſcere corpus cum matre, hic ſacrarium ſpoliare, aut ædem aliquam ſacram diripere. neque minus, qui peccati ſomno premuntur, in ſimilium rerum turpitudine & atrocitate verſantur. ſed hoc intereſt inter vere ſomniantem eumque qui vigilans peccat, quod ille, ſimul ac ſomnus effugit, omnis etiam fœditas ſuperioris viſi dilabitur, neque ulla remanet in animo nota, pœna ſupplicioque eluenda, huic autem, ſimulac vitæ ſomnus exceſſit, & culpa hæret, & æternus ſupereſt apud inferos ignis atque cruciatus. verum hæc inter peccantes ſomnianteſque ſimilitudo cognatioque, quam diximus, intelligi etiam poteſt ex eo, quod, quemadmodum ille, qui ſomniat, verbi cauſa, ſe eſſe Regem vel divitem, interdum, dormire ſe & vana rerum ſimilitudine ludi, non ambigit; ita etiam, qui, propter honores ac divitias, æquabilitatem communis conditionis excedunt, ſæpe fatentur, vana eſſe hæc omnia, ac nihil fere à conſuetudine ſomniorum abeſſe; ſed prudentes ſcienteſque à falſis illis rerum inaniſſimarum ſplendoribus illudi ſe ac decipi ſinunt; interea mors, tanquam fur quiſpiam, adveniens, in eo errore, magno cum ipſorum damno, intercipit, ac perinde ipſis accidit, atque illi, qui, dum theſaurum ſe reperire ſomniat, à furibus oppreſſus necatur, auroque quod habet evertitur. quo fit, ut ſolus ille ſecure quieſcat, qui in acri ſui ipſius cuſtodia permaneat. quæ ſecuritas ab iis etiam armis, quibus Deus vigilantes inſtruxit, multis partibus augetur; quæ arma militiæ noſtræ, ut inquit Apoſtolus, non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum; hoc eſt, ut, ſi propoſitum ſit nobis, in certamen cum illis prodire, & manus cum hoſte conſerere, omnes illius inſtructas adverſus nos machinas & munitiones expugnare, diruere, ſoloque æquare poſſimus; &,

quod rem continet, ita ſunt expedita ac levia, ut, in onere, Chriſtiani milites non plus numerent, quam humeros, lacertos ac manus. Hæc arma, ne lectorem diutius teneam, ſunt divina præcepta; quæ arma, nullis unquam temporibus, vigilantibus atque in pugnam expeditis defuerunt; ſed ante Chriſti adventum erant gravia, difficilia, & ad ferendum acerba; at Chriſtus, pondere detracto, ita levia ſuis militibus reddidit, ut, & quod animam tegeret, & quod eſſet leve, curaret. ſed quonam, inquies, artificio, omne à ſuis mandatis pondus Chriſtus exemit? eo nimirum, quod, ad ea perficienda, vires nobis animumque ſuppeditat; id quod lex Moyſis non faciebat; quæ, non ſolum nihil iis, qui eo erant ſub jugo, ad levationem oneris pollicebatur, verum etiam pœnam capitis in contumaces rebelleſque conſtituebat. Quamobrem Chriſtus ſuam quidem legem, jugi atque oneris nominibus, afficit, ſed unum cum ſuavitate, cum levitate alterum junxit, aitque, jugum ſuum ſuave eſſe, & onus leve. Iugum quidem & onus dixit, quia parendi vim & neceſſitatem apportat; ſuave autem & leve, quia, auxilia, quibus legis ejuſdem imperio voluntarique ſerviamus, adjuncta divinitus habeat. poſtremo, quia externos internoſque hoſtes laceſſendi, feriendi, jugulandique vim habent, armorum appellatione notatur. quam igitur, tam ſalutaribus armis tectus, pugnam, quod certamen reformidet? quos cupiditatum impetus, quos Dæmonum incurſus, reformidet? at arma hæc, quamvis valida, quamvis neceſſaria, quamvis ſalutaria, vigilantibus tantum proſunt, dormientibus nulli ſunt uſui; excubantibus ſecuritatem pariunt, dormitantibus ſolicitudinem non adimunt. quocirca, ſi tot periculis cinctis, ſi tot inſidiis circumſeptis, ſi tot ab hoſtibus expetitis, nulla nobis ſalutis, nulla ſecuritatis otiique ratio, niſi in vigilantia, eorumque armorum præſidio, quæ largitur lex Chriſti, relinquitur; ſupereſt, ut in perpetua vigilia maneamus, ut tantæ lucis claritati, ad nos illuſtrandos, tam late diffuſæ, oculos non obvertamus, ut arma, quibus tecti eſſe poſſumus, ſuſcipiamus; ne, ſi tantulum oſcitantes nos ſomnus invaſerit, latentes hoſtiũ in inſidias, in repentinas illorum incurſiones, in manifeſta pericula, inermes incidamus.

IANI

IANI NICII
ERYTHRÆI
SERMONES
DE
QVATVOR NOVISSIMIS.

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo

DOMINO

FABIO CHISIO,

Sedis Apoſtolicæ apud Vbios Nuncio,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS S. P. D.

ET meæ, jam decurſæ, ætatis ratio, & multiplicium morborum incommoda, à quibus penè obſideor, non ſolum me admonent, verùm etiam urgent, impellunt, adigunt, ut nihil niſi de meo celeri ex hac vita diſceſſu excogitem. accedit difficultas reſpirandi, quæ me, aliquot abhinc menſes, invaſit adeo, ut, ſive aſcenſu ingrediar arduo, ſive domus meæ ſcalas inſcendam, prope exanimari me ſentiam; ita, interclusus ſpiritus, in arctum anguſtumque deducitur, ut omnes ad commeandum vias interceptas habere videatur. itaque cum editum aliquem locum vel ſcalas ſuperavi, in ſellam ibi paratam irruo, expectoque, dum animus, qui conſtrictus oppreſſuſque detinetur, paululum ſolutus, àd vitæ munia ſe recipiat. Omnino ab hoc

hoc exilio pes eſt efferendus, & alia regio, alia civitas, perſequenda, quæ verè ſit noſtra. Et ſane, ſi ea in nobis mens eſſet, quæ eſſe deberet, quid gratius poſſet accidere, quam in ea loca immigrare, ubi, ſecluſis omnibus malis, cumulata bonorum complexio percipiatur? In hac igitur, tam utili, tam ſalutari, tam neceſſaria meditatione defixus, ſermones quatuor conſcripſi, de iis quæ tum mortem antecedunt, tum eandem ſubſequuntur; quibus quoniam omnis totius vitæ noſtræ quaſi actio terminatur atque concluditur; neque ultra quidquam habemus, à noſtris Noviſſimorum nomen eſt inditum. Eos Paradoxis, quæ multa, ad vitam ex rationis norma exigendam, & ad mortem æquo animo obeundam, tradunt, adjunxi, & , quo majorem ſibi hominum gratiam conciliarent, honeſtiſſimi tui nominis ornamentum ac decus addidi. neque iis de rebus ſermones tibi ingratos fore exiſtimavi, qui, quamvis tanto mihi ætate inferior, longius à morte atque ab extremo judicio abeſſe videaris, tamen attentius, quam ego facio, in hac cogitatione curaque te contines, illud aſſidue in mente habens, quod à ſapiente quodam eſt dictum, naturam nobis, vel potius Deum, dediſſe uſuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die, eamque repetere cum libeat. cujus veritatis ratio, non ex intimis Philoſophiæ arcanis eruenda eſt, ſed teſtimonium ab oculis noſtris accipien-

dum, qui mortem quotidie penè innumerabiles vident, modo adoleſcentes, modo pueros, &, quod eſt acerbius, in cunis eripere, ſummæque vanitatis ſtultitiæque arguere eos, qui integram florentemque ætatem, tutam ab omni mortis injuria putant, in eaque longiſſimæ ſpem vitæ conſtitutam habent. ſed iſti plerunque à tergo, à conſequente eos morte, nec opinantes comprehenſi, ſuo exemplo, doctos alios efficiunt, nullam eſſe ætatem, quantumvis viridem, quæ ſit à morte immunis. Sed ego ſtultus, qui, tecum præſertim loquens, pluribus verbis coner oſtendere, ſolem meridie lucere. Ea igitur humanitate, qua me meaque omnia complecteris, id quoque quidquid eſt muneris accipe, ac tibi perſuade, me nullum finem tui cogitandi, teque, quibuſcunque poſſim rebus, ornandi facere. Vale. Romæ, Kal. Auguſti CIↃ IↃC XLVII.

SERMO

SERMO I, DE MORTE.

SÆvum atque funeſtum illud bellum, quod in Chriſti Domini pectore, in horto Gethſemani, varii atque inter ſe diſcrepantes animi motus ediderunt, cum videlicet ille cœpit tœdere, pavere, & mœſtus eſſe, horribilem illam pugnam ante oculos nobis conſtituiſſe, qua improbi mortis ſuæ tempore, ex contrariarum perturbationum concurſu, torquentur, diſtrahuntur, dilacerantur-que, autor eſt Gregorius, aliique graviſſimi literarum ſacrarum interpretes. Sed quid opus eſt Gregorii vel alterius cujuſpiam autoritate, in eo, quod ipſemet Chriſtus, Prophetarum ſuorum, qui à ſæculo ſunt, ore expreſſit? Etenim, per Hieremiam primum, Collocavit me, inquit, in obſcuris, ſicut mortuos ſempiternos; tum, per David Regem, paululum immutatis verbis, hoc idem edixit, cum ait, Collocavit me in obſcuris, ſicut mortuos ſæculi. At, quinam ſunt iſti, quibus mors æterna contingit, ad quorum ſimilitudinem, in loca fœda, ac tenebris obſita, Chriſtus ſe fuiſſe compulſum, graviter vehementerque conqueritur? Sunt mortui ſeculi, nempe ii, qui in ſtudiis ac cupiditatibus rerum humanarum immoriuntur, qui terrena ſapiunt, qui omnem vitæ ſuæ curſum, vehementiſſima contentione animi, ingenii, ac virium, in ambitionis labore, in pecuniæ ſtudio, in omnium rerum jucundiſſimarum varietate, conficiunt. Ob peccata igitur hominum, quæ in ſeſe tranſtulerat Chriſtus, in eas animi anguſtias, tenebras, horroremque, ſe fuiſſe abſtractum, lamentatur ac queritur, quo concutiuntur ii, quibus, ob plures ac deteſtabiles, quibus ſe implicarunt, errores, mors ſempiterna debetur. Multa numerantur, quæ Chriſti animum in horto Gethſemani, tanquam immanes ſævique carnifices, crudeliter excruciarunt; ſed, ne ſim odioſus, tria tantum commemorabo. primum, mortis metum atque terrorem in medium adducam; cum nimirum mortis, quæ pro nobis ſibi obeunda erat, ſpeciem ſuos ante oculos ſtatuens, fecit illi poteſtatem (id enim ſignificat, verbum illud, cœpit pavere,)

re,) ut ſuum in animum, ad eum perturbandum commovendum omnique ratione vexandum irrumperet. nihil enim æque natura horremus, ut animæ diſceſſum à corpore. primum dedit illi ad ſe aditum, ut ſe verum eſſe hominem ſignificaret, qui poſſet iiſdem, quibus nos, affectibus agitari permoverique; tum multo magis paſſus eſt, ſe ab hoc metu mortis torqueri, ut plura poſſet pro nobis & acerbiora perferre. nam pavor ille eam ipſi dolorum cruciatuumque vim peperit, ut toto è corpore, ſanguinis quaſi rivos exprimerent, qui ad terram uſque decurrerent. Sed, ut hoc, quod in Chriſto ponimus, ad improbos transferamus, qui æſtus, qui error, quæ tenebræ, illi erunt, qui omnium ſcelerum labe ſe contaminavit? cum ſibi corporis ſocietatem eſſe dimittendam intelliget, cum ſentiet, ſe ab iis rebus abſtrahi atque divelli, quibus ita arcte hærebat, nempe à voluptatibus, in quas ſe ingurgitaverat, ab imperiis ac dignitatibus, quibus inflatus, honorem ſibi, tanquam Deo, haberi poſtulabat, ab ampliſſimis ædibus, à magnificentiſſimis villis, omnium rerum ornatu inſtructuque refertis, quas tanto opere, labore, ſumtu, ſtudioque paraverat, tanquam ſi exploratum ſibi fuiſſet, ſe ſemper eſſe victurum. harum igitur rerum illi omnium diſtractio, diſſidium, atque vaſtitas veniet à Deo. at quibuſnam flagellis? duobus, Iob inquit; ferro atque igne: ait enim, Nonne ſucciſa eſt erectio eorum, & reliquias eorum devorabit ignis? nempe illa eorum animi elatio atque ſuperbia, qua inſolentius impii ſeſe jactabant, à Deo patre, quem Chriſtus dixit agricolæ partes agere, & omnem palmitem, in ipſo non ferentem fructum, non ſecus ac ruſtici faciunt, ea quæ ſeſe in vitibus nimium profuderunt, excidere, reſecabitur. ac deſtruetur, vel potius, ab eodem, illa eorum inſolentia atque faſtidium, ex præſtantia dignitatis ac fortunæ ortum, tanquam arbor, ea ſecuri ſuccidetur, quam Ioan. Baptiſta, jam ad radicem veniſſe, comminabatur. quæ ſecuris nihil cuiquam eorum parcet, unde illi, tantam arrogantiam, tantos ſpiritus ſumſerant. unum tantummodo, id quod minime illi vellent, vel potius id quod maxime ſibi adimi cuperent, reliquum illis

illis fiet; corpus nimirum; cui adeo indulgebant, ut non alteri rei magis quod adeo diligebant, ut nihil eſſet in amore ardentius; quod ita nitide delicateque tractabant, ut animam, longe pretioſiorem, cœni lutique illius curandi cauſa, horridam, incultam, ac fame ſitique enectam, interire paterentur; quod corpus, non ignorant, idcirco ipſis relinqui, ut ad cumulum malorum omnium quibus ipſi obruentur, illius etiam cruciatus accedat. ideo Iob inquit, Reliquias eorum devorabit ignis, hoc eſt ſempiternum inferorum incendium, quaſi pro torri corpora eorum habebit, unde in omni futuri temporis ſpacio ſibi alimenta ſuppeditentur. quoniam ignis eorum non extinguetur; videlicet, nullus illis ad ardendum, comburendumque finis conſtituetur. O quam inviti repugnanteſque cogentur ſe corpori illi rurſum adjungere, quod antea, tanto cum dolore cruciatuque, dimiſerant? Nam prior mors, ut ait Auguſtinus, nolentem animam à corpore ſeparavit, ſecunda mors invitam animam corpori conjunget. eo quod nihil ipſi minus expediat, quam, corporis ſocietatem rurſus inire, à qua ſocietate mors eam ipſa diſtraxerat. verum, hanc illorum tam vehementem ac violentam diſtractionem ac diremtum, ab iis rebus, apud quas fixus eſt illorum animus clavo inexpugnabilis cupiditatis atque libidinis, multo mihi aptius, quam quiſquam alius, idemmet Iob demonſtrare videtur, his verbis, Et velut turbo rapiet eos de loco ſuo. turbo, cum eſt validus, arborem è terræ gremio radicitus extrahit. nihilo ſecius mors malos de loco ſuo, non radicitus, verum etiam eradicitus, evellit. De peccatore tantum ſcriptum legitur, quod mortis vi impetuque de loco ſuo eripiatur, propterea quod in rebus hujus vitæ leviſſimis, quibuſque nullum fere ſolum ac fundamentum ſubeſt, ſpei & cogitationum ſuarum radices habeat defixas. id quod in virum juſtum, cui nihil fere rei eſt cum rebus illis, quarum ille quaſi amplexu implicatus adſtringitur, minime convenit; cui quamquam mors vitam adimat, non tamen locum, ubi fixus eſt, eripit, quod nullus flatibus mortis eo pateat acceſſus; nimirum in cælum, ubi jam diu illi factus eſt in pace locus

ejus,

ejus. idque ſignificare voluit Paulus Apoſtolus, cum dixit, Noſtra converſatio in cælis eſt. quid igitur animi credimus fore illi miſero, cum, mortis impetu impulſus, jactatus, labefactatus, bonis omnibus, ſi tamen bona ſunt appellanda, funditus evertetur, in quibus tabernaculum vitæ conſtitutum habebat, cum ad ſolam mortis memoriam commoveatur, perturbetur, expalleſcat, exhorreat? ut ſapiens, in attenta hujus rei cogitatione defixus, in ea verba proruperit: O mors, quam amara eſt memoria tua homini, pacem habenti in ſubſtantiis ſuis! At maxime eſſet optandum, ut ille, adverſa mortis quaſi tempeſtate, bonis, quibus ſe beatum putabat, exutus, nudus, naufragus, ejectus, à Dei miſericordia exciperetur, quæ ferret nuditati egeſtatique ſuæ ſuppetias. ſed nihil minus; immo major illi malorum moles, à qua obruatur, impendet. nam, emittet, Iob ait, ſuper eum, ut non parcat; hoc eſt, ideo illi mortem immittit, ut omnem in eo vim ſuæ juſtitiæ ac ſeveritatis exerceat. Duo omnino ſunt genera flagellorum, quibus à Deo hominum peccata ſanciuntur; unum, quo filios, minus ſibi obſequentes, coërcet; atque hoc flagello corrigit ut parcat; cum nimirum aliquos periculoſis ægrotationibus conflictari, quoſdam moleſtiſſimis litibus implicari, quoſdam gravem in exiſtimatione ſua plagam accipere, alios exilio, pecunia, aut rei familiaris naufragio multari permittit. nam de his, ut de filiis, patrio more, ſupplicium ſumit, quo eos peccandi odium capiat, atque ab inanibus cupiditatibus revocent ſe ad ſtudium probitatis & innocentiæ, ac, contrariis virtutibus, præteritæ vitæ peccata emendent. Atque id intellexit David, cum Deo diceret, Fingis laborem in præcepto; videlicet, efficis, ut dolor, ex rebus adverſis nobis inflictus, diſciplinæ ac præcepti cujuſdam vim habeat, quo edocti, divinis juſſis atque mandatis apertas, nec, ut antea, obſtructas aures habeamus; ut, quoniam, cum gratum nobis eſſe potuit, noluimus, iis tandem, ingratiis & malo coacti, obtemperemus. Alterum eſt flagellum, quo Deus inimicos ſuos ulciſcitur. hoc flagelli genere uſus eſt in eum, cui per Iſaiam dixit, Plaga inimici percuſſi te, & caſtigatione

tione crudeli. hoc autem flagello percutit, ut non parcat. Quam multi, omnium mortalium profligatiſſimi ac perditiſſimi, mortis, quæ inſtat, deprecandæ gratia, quæ nunquam ſolvant, vota concipiunt! quam multi, omnibus inſignes notis turpitudinis, in ſummo mortis periculo, viros religioſos ac probos, ſibi precatores ad Deum, etiam eleemoſynis parant! hoc in numero ſceleratus Rex ille Antiochus fuit. at hi nullum aliud à Deo reſponſum accipiunt niſi illud, Quid clamas ſuper contritione tua? inſanabilis eſt dolor tuus. quid ad vota, ad promiſſa, ad preces confugis? laterem lavas, nullus jam votis, nullus promiſſis, nullus precibus relictus eſt locus; pereundum eſt tibi, &, quod rem continet, duplici leto. nam, ut dixi in Deuteronomio, ignis exarſit ab ira mea; quæ prima mors eſt; & ardebit, uſque ad inferos deorſum ignis; quæ mors eſt altera. Hoc duplex mortis genus eleganter, ut mihi videtur, complexus eſt Hieremias illis verbis, Duplici contritione conteres eos. conteres inquam, quia peccator, ſua ipſius confeſſione, ſe quaſi vas fictile, igni excoctum eſſe fatetur, cum de ſe ait, Aruit, tanquam teſta, virtus mea; quaſi dicat, quidquid in me jam, concupiſcentiæ æſtu, excocto, virtutis erat, ac ſucci, exaruit. poteſt quidem vas fictile, duratum igni, comminui; ſed ineptiæ ſunt, confractum velle inſtaurare atque reficere. Age vero, numquid mortis cogitatio, tantum in eas animi anguſtias ac terrores, de quibus dictum eſt, Chriſtum adduxit? in quibus illos expreſſit, quos improbis ac ſceleratis hominibus mors, cum advenit, affert. alia, alia, etiam longe majora, eas illi dolorum ac miſeriarum cauſas pepererunt, ut penè ludum jocumque dixeris fuiſſe illas alteras, prout earum ſævities quæ dedit. videlicet peccata omnium hominum, qui ſunt, qui fuerunt, quique futuri ſunt; quorum tam magnus eſt numerus, ut iniri vix poſſit. ab his igitur eſt quodam quaſi vallo circundatus & obſeſſus, adeo, ut ne levis quidem, cujuſpiam conſolationis, commeatus penetrare ad eum poſſet. qua obſidione quidnam aliud tam Chriſto propoſitum fuit, quam exiguum illum gyrum oſtendere, in quem peccator, morti jam proximus, ſe eſſe compul-

compulſum inveniet? qui peccator nihil aliud in vita egiſſe videtur, niſi ut peccatorum ſe quaſi munitione &vallo ſepiret, quo divinæ miſericordiæ, qua nullum majus eſt in morte ſolatium, omnem ad ipſum aditum intercluderet, adeo ut amiſſionem vitæ & bonorum omnium, præ his anguſtiis, pro nihilo ſit habiturus, ſed Davidicum illud uſurpaturus, Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. Dies mala, Auguſtinus ait, dies noviſſima eſt. curnam, peccator inquiet, moriendi neceſſitas, quæ evitari non poteſt, tantum mihi terrorem incutiat? illud me magis æquum eſt terreat, illud mihi majores dolendi lamentandique cauſas debeat afferre, videlicet calcanei iniquitas mei. Quod loquendi genus ſi quis minus intelligat, atque aveat ſcire quid calcanei nomine ſignificetur, Auguſtinum interroget; qui reſpondebit, carnem noſtram hoc ſignatam nomine eſſe, quia per carnem labitur homo; quam carnem humani generis hoſtis, luctator nimis doloſus & callidus, ad nos ſupplantandos evertendoſque, identidem appetit. Neque tum primum carni noſtræ, calcanei nomen eſt inditum, ſed multo ante à Deo impoſitum, qui de Eva, quæ tum univerſæ carnis perſonam referebat, proſerpenti beſtiæ dixit, Et tu inſidiaberis calcaneo ejus. quam etiam Evam vir ejus Adam, ſimul ut aſpexit, carnem de carne ſua vocavit, Hoc nunc, inquiens,os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. quid igitur peccatorem, ægrum ac plane depoſitum, ingentem ad deſperationem terroremque perducet? iniquitas calcanei ſui; totius videlicet vitæ peccata, carnis ſuæ opera perpetrata; hæc, quaſi murus quidam æneus, in obſidione ita eum habebunt, ut, quid agat, quid conſilii capiat, quæ ad divinæ miſericordiæ auxilia deducenda eruptionem faciat,non ſit inventurus. Quid opus eſt verbis? non ſolum ea vitia, quæ ſunt manifeſta, neque poſſunt inficiari, nos obſidebunt, ſed alia etiam, non parum multa,quæ nunc aſpectum noſtrum effugiunt, &, quod eſt horribilius ac metuendum magis, quibus nos pulcram probitatis ſanctitatiſque perſonam imponimus, ex abdito & tanquam ex inſidiis erumpentia, nudata facie, ut Anſelmus

mus ait, apparebunt peccata nigerrima, ac confertiſſimum ad nos obſidendos agmen efficient. Sed quid mirum eſt, magnus inquit Gregorius, ſi peccantibus nobis, dum recte atque ex ſententia valemus, pene innumerabilia, longe alia videantur eſſe ac ſint, cum mens, ſanitatis tempore, multiplicibus ac propemodum infinitis rerum imaginibus obſita ac diſtricta teneatur? at eas omnes, adventu ſuo, mors abigit, ac de medio abire compellit, perficitque, ut ſe quiſque tantummodo, eumque à quo propius abeſt, in oculis habeat. non igitur tum mutat amplius in horas, vel potius in ſingula temporis momenta, novas de rebus leviſſimis cogitationes & nova conſilia; non amplius volvit ſecum in animo voluptates, honores, divitias, principum virorum gratiam; non amplius aſtute inſtructa ſuo habet in corde conſilia, quemadmodum dolos & inſidias alteri ſtruat; ſed ſolum ſe ipſum habet in conſilio, eumque, ad quem mox venturus eſt, judicem, apud quem, ſibi ipſi erit pro ſe cauſa dicenda; & quoniam non invenit, quemadmodum teſtes, qui verum contra ipſum teſtimonium ſunt dicturi, refellat, quæque objicient crimina, diluat, ſudat, pallet, horret, contremit; jamque, non à timore, qui eſt opinio impendentis mali, ſed ab ægritudine, quæ eſt opinio præſentis infortunii, corripitur; cui infortunio, quamvis paululum adhuc ſit moræ, ita tamen de eo non dubitat, quaſi ſit præſens. atque hic terror ac formido adeo infert ſe omnibus quorum fuit vita liberior, ut eos etiam comprehenderit, qui, Euangelio nondum divulgato, ineptiis ac fabulis eos duci exiſtimabant, qui crederent, aliquod poſt mortem hominibus ſupereſſe judicium, atque impiis æterna apud inferos ſupplicia ſervari. ſiquidem M. Tullius (id, quod ſatis mirari non poſſum) in libris de divinatione, eos, ait, qui ſecus quam decuit vixerunt, hoc eſt, ii, quos nulla unquam peccandi ſatietas cepit, cum mors urget, tum peccatorum ſuorum maxime pœnitere; atque hujus tam ſubitæ pœnitentiæ rationem eam affert, quod tum jaceat corpus, animus vigeat, quod etiam tumentibus humanarum cogitationum, quibus agitabatur, fluctibus, vitæ aura deficiente, ſedatis, nubibuſque, quibus lux eripiebatur, diſſipatis ac disjectis,

animus

animus ad ſe redeat, ac veri luminis acceſſu, res antea cæcas, & ab ipſius judicio remotas, intueatur. Si igitur peccator, ex flagitiis apertis manifeſtiſque, tantum hauriet timoris atque formidinis, quo horrore, qua exanimatione, complebitur ex iis, quæ ſuis ab oculis aberunt, ſimulac ex improviſo horribilis eorum ſpecies ſeſe obtulerit? ſi viris omnium ſanctiſſimis, ipſa bona & egregia opera, tantum timoris objiciebant, eo quod habebant in mente id, quod à Gregorio, quem ſæpe laudamus, veriſſime dicitur, non ſine reatu eſſe quod laudabiliter geſſimus; quantam vim timoris terroriſque ſuis autoribus ea ingerent facta, quæ plena ſceleris atque flagitii, & omnis inania laudis ac virtutis, admiſerint? quid mirum jam eſt, ſi, ſupremo judicii die, timoris magnitudine, omni ſpe ſalutis, ut ita dicam, emuncti, quaſi ſtipula, ab humore deſtituta, areſcent? atque hæc eſt preſſura illa, de qua Chriſtus cum loqueretur, dixit eam fore tantam, ut homines præ timore areſcerent. poſtremo, vis illa ſeveritatis, quam Deus parens ita in Filium exercuit, ut ſuo eum auxilio deſeruerit, vel viſus ſit potius deſeruiſſe, quantum illius timori mœſtitiæque influxiſſe credendum eſt? ac profecto acerbitatis tantum invexit, ut ille, tanquam amnis, imbribus auctus, atque extra ripas diffluens, è toto ſe Chriſti corpore, in guttas ſanguinis, decurrentis in terram, ejiceret, eamque ab illo plenam doloris ac miſeriarum, vocem exprimeret, Deus Deus meus, ut quid me dereliquiſti? quod ſi ſeveritas Patris, ita male, Filium ſuum unicum, & ab omni culpa vacuum, habuit, non alia de cauſa, niſi quia nomen ſuum ad tranſlationem noſtrorum criminum accommodaverat, quis tam inepte ſit ſtultus, ut exiſtimet, divinæ iracundiæ tela levius in improbos, qui ſua non aliena culpa laborabunt, ſupremo illo tempore eſſe caſura, quibus eſt Deus, ſupra quam dici poteſt, infenſus, quibus ſe, cum ſolatiis auxiliiſque ſuis omnibus, una ſubducet? cujus derelictionis cogitatione Rex David plane ac vehementer exterritus, quam poterat demiſſiſſime abjectiſſimeque, hac Deum oratione, ut tantam à capite ſuo peſtem propulſaret, exorabat, Ne declines in ira à ſervo tuo. quamobrem? quia, ſi à tua ope

ope auxilioque deſtituar, jam omnes de ſalute mea ſpes fractæ atque convulſæ, eſt neceſſe, ut jaceant atque depereant. quid eſt, cur peccatorum mors peſſima dicatur, niſi quia nullis divinis auxiliis ſublevatur? & quomodo non peſſima, Bernardus ait, ubi non ſubvenit vita? cur autem non ſubveniat, eam eſſe rationem Iſaias ait, quod peccata, quibus perpetuo ſe contaminarunt, quandam quaſi munitionem ac molem lapidum exſtruxerint, qua cæleſtis gratia, ne commeare ad ipſos poſſit, excludit. Peccata, inquit, veſtra diviſerunt inter Deum veſtrum & vos. peccata, dixit, non peccatum; eo quod corpus, quod corrumpitur & aggravat animam, in ſacris literis, peccati etiam nomine ſignetur. hoc quamvis viros etiam juſtos, dum vitam hanc incolunt, à Chriſti conſpectu complexuque disjungat, tamen, ſimul ac mors, ejus vincula ruperit, ſtatim illi, avibus ocius, evolant ad Deum, neque parietes alii, hoc eſt, peccata, plurali numero, interjecta, eorum curſum atque volatum, ſicut improbis, inhibent; qui totidem ſibi muros exædificarunt, quot ſunt peccata, quibus ſe infecerunt. ideo mors illorum peſſima nuncupatur, quia incidit in eos muros, qui Deum à nobis ſejunctum in perpetuum habent. iſtorum vero precioſa, duplici de cauſa, vocatur; primum, quia mors illa rationem magis habet vitæ, quam mortis; ſiquidem, ad ævum ſempiternum, aditum aperit; ideo nullum illi pretium poteſt conſtitui, quod illius dignitatem exæquet. deinde pretioſa eſt, quia cariſſime emitur, nimirum perpetuis vitæ laboribus ac moleſtiis, tum prætermittendis voluptatibus, ac virtutibus perſequendis, deinde honoribus, divitiis, iiſque quæ ſuavia ſunt in præſentia, contemnendis, tum injuriis condonandis, denique ærumnis omnibus fortiter ſubeundis ac perferendis. neque quiſquam eſt tam diſſolutus, tam perditus, tam flagitiis omnibus coopertus, qui non hanc ſibi mortem expetat, qui non ita ſecum ipſe agat; Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea, illorum ſimilia. Volunt quidem omnes ejus mortis compotes fieri, ſed illud non cogitant, eam eſſe venalem, ideo ſumtibus, qui in eam faciendi ſunt, non parcendum; tum, non animad-

vertunt, cum dicunt, extrema juſtorum, ſe quoque, prima quædam illorum eſſe, concedere. non enim extrema ſine primis eſſe poſſunt, quæ prima, eorum perpeſſione malorum quæ diximus, continentur. at, ridiculi homines, optant extrema juſtorum, ab initiis vero quantum poteſt abhorrent. interim non ceſſant, quatuor illos parietes, qui à ſpiritualis vitæ magiſtris enumerantur, exſtruere, iiſque ſeſe nulla exeundi ſpe claudere. ii autem ſunt, pravis cogitationibus aſſentiri, tum factis, quod prave cogitaverint, exequi, deinde, ad peccandi conſuetudinem, quæ eſt altera fere natura, longo uſu delabi, poſtremo, ex contemtu probitatis virtutiſque, nolle ex iis vitiis, in quæ ſe conjecerunt, emergere. Sunt iſta, inquiet aliquis, ut dicis; fateor, munitiones, quibus me ſepſi, eſſe multiplices, validas, ac robuſtas; ſed dico (nec id mihi quiſquam negaverit, cui boni illius Latronis nota ſit hiſtoria, qui puncto temporis, ex improbiſſimo factus eſt ſanctiſſimus.) ajo, inquam, mea eſſe in manu, ſimulac voluero, munitiones illas diſſipare atque deſtruere, & ex vallo, in quod me concluſeram, egredi. Bene ſit bono illi Latroni, qui, cum ipſe ſit in cælo, tam multos, qui ſperent, idem ſibi, atque ipſi, poſſe contingere, ad inferos adigit; ac nemo tibi non dederit, poſſe Deum nova, admirabilia, & ſupra naturæ vires, patrare cum velit; verùm, hæc ille, qui ſumma ſapientia eſt, niſi ſumma cum ratione, non efficit. memora mihi, ex omni memoria, Latroni ſimilem alterum, cui feliciter, extremo ſpiritu, ad Deum converſio proceſſerit. ſed, illud eſt veriſſimum uſitatiſſimumque, malam atque improbam aliquam conſuetudinem non niſi contrario uſu deleri. itaque ille, cujus omnis vita conſumta eſt in ſceleribus atque flagitiis, quomodo nullius negotii rem eſſe exiſtimabit, momento penè temporis eos parietes, quos diximus, demoliri atque diruere, ac redire cum Deo in gratiam, qui ab ipſo, capitali odio, diſſideat? nonne videt, fore, ut, prius quam iſtuc inſtituat agitare in mente, quemadmodum eſt in proverbiis, in operibus manuum ſuarum deprehenſus, millies devoretur à rugientibus, præparatis ad eſcam? Quamobrem, quiſquis adhuc paruit volupta-

luptatibus, quiſquis dedit operam ambitioni, divitiis, flagitiiſque, tandem metuat, revocet ſe aliquando ad curam ſalutis, ſuæ præteritæ vitæ peccata defleat, eaque contrariis virtutibus, quantum poteſt, emendet, quoniam poſt puſillum, ut Gregorius inquit, hoc eſt, poſt illud tempus quod mortem antecedit, quod ſane perexiguum eſt, inveniet, quod in æternum mutari non poſſit.

SERMO II, DE SUPREMO IUDICIO.

Judicia Domini vera, juſtificata in ſemet ipſa. Pſal. XVIII, 10.

IUdicia Domini, vera, quia ea nullius magnitudo pecuniæ comparat; vera, quia nullius eloquentiæ vis eripit; vera, quia nullus potentioris cujuſpiam favor & gratia extorquet, ſed ipſa veritatis ratio pronunciat. juſtificata in ſemetipſa, quia, ad ipſorum juſtitiam æquitatemque probandam, nihil extrinſecus advocetur, ſed totum ex ſua vi atque natura ſumatur; vel quia, ut D. Auguſtinus interpretatur, quæ Deus in extremo judicio minitatur, niſi parati ſimus ad cavendum, nulla ratione effugi poſſint. Sunt quidam, qui hæc divina judicia in rebus jucundiſſimis maximeque expetendis ducunt, quod eos, maxima ſpes teneat, ut, ærumnis & calamitatibus, tanquam aurum, igne probatum, vel quaſi gemmæ, eleganti opere ab artifice elaboratæ, in cæleſtibus theſauris reponantur. & ſunt aliqui, qui ab eiſdem judiciis, tanquam à re peſtifera atque nocente, refugiant, quod ab opinione ipſorum non abhorreat, ſe, quaſi palmites, inutiles, quæ luxuriantes, ex rebus ſecundis, ſeſe nimium profuderunt, extremo illius horribiliſque judicii ferro eſſe depaſcendos, æternoque igne comburendos. neque eorum utrique decipiuntur. nec ab eo, quod Paulus Apoſtolus, ſcribens ad Corinthios, dicit, aberrant, qui, Dies, ait. Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit; ſi cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit,

ficavit, mercedem accipiet, ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur. Et quamvis peſſime cum iſtis agatur, qui ſupremi judicii memoriam ideo à ſe repellunt, quia peccatorum ſuorum conſcientia, quæ graviter vehementerque contra ipſos teſtimonium dicit, quia maximis atque graviſſimis criminibus evicti, de damnatione non dubitant, quia, ſi peſſima ipſorum facta in judicium deducantur, nulla eos ſalutis ſpes teneat, ſed ſeſe ipſi in deſperatis ac perditis rebus enumerant; tamen longe pejori conditione res eorum ſunt, quos nullus ſupremi judicii terror invadit, nullus æternarum pœnarum metus exterret, nulla ſeveriſſimi judicis, qui ad exactam ac veram rationem omnia exiget, cogitatio ſubit. è quorum numero ſunt ii, quibus nihil unquam adverſi contingit, ſed cuncta ex animi ſui ſententia fluunt. nam fieri poteſt, ut illi, ſi non ratione officii, at metu tamen terroreque adducti, ad ſe ipſi revertantur, tam neceſſariam ſalutis ſuæ cogitationem ſuſcipiant, ad officium redeant, ad judicium ſe comparent, &, quia nulla defenſione tueri ſe poſſunt, ad judicis miſericordiam confugiant, & tanquam villicus ille, qui debebat Domino ſuo decem millia talenta, neque erat ſolvendo, ad illius pedes ſe ſupplex abjiciat, debitum fateatur, ac diem ad tantam pecuniæ ſummam comparandam numerandamque ſibi dari depoſcat. ac fieri poteſt, ut vetus in eo villici ejuſdem exemplum renovetur, qui hac demiſſione animi impetravit, ut tantæ ſibi pecuniæ à Domino gratia fieret, atque ex debitorum illius albo eraderetur. ad quam ſpem majori hilaritate fiduciaque exarſerit, ſi liberaliſſimæ, illius, divinæ pollicitationis meminerit, qui, qua hora quempiam peccatorum ſuorum maxime pœnituerit, continuo fore promiſit, ut illa penitus ex omni memoria evellantur: at iſtis, qui longiſſime à judicii cogitatione remoti, (cujus judicii diem nunquam adfuturum exiſtimant) ocioſi ac ſecuri in voluptatibus quieſcunt ſuis, nihil eorum venit in mentem, non peccatorum, quæ commiſerint, rationem ſecum habent, non numerum ineunt, non rationes cum Deo putant, ut videant, infinitum illud eſſe quod ei debeant, nulliſque ſuis facultatibus perſol-

perſolvendum, nullum judicis adeundi deprecandique, nunc, cum tempus ad eam rem eſt, conſilium capiunt; quo fit, ut, ex improviſo, ruenti ſuum in caput ſupremi judicis mole oppreſſi, malo ſuo intelligant, quantum ipſis in perpetuum damni ac miſeriarum ſit eventurum ex eo, quod nullum unquam tempus huic tam ſalutari tamque neceſſariæ cogitationi conceſſerint, quod nunquam huic tam præclaræ doctrinæ ſtudium ſuum dederint, quod ejus ſemper notitiam ab ipſorum animis remotam ac ſejunctam habuerint. tum cognoſcent, quinam æſtus, qui error, quæ tenebræ, eos invadant, quos repentinus malorum, quæ ne ſuſpicati quidem fuerant, adventus & incurſus oppreſſerit. nam, cum præſenti ac parata, ad periculum, quo ex improviſo deprehenſi ſunt, opus ſit ope auxilioque, æſtuabunt, horrebunt, quid agant quidque conſilii capiant non habebunt; ac perinde ipſis accidet, atque iis, qui ex abdito opacoque loco in ſolem, quem nunquam aſpexerint, prodeunt. nam fit, ut in eo caligent, aſpectum prorſus amittant, iter manibus tentent, nec, ubi ſint, nec, quo abeant, ſciant. ita etiam illi, cum ex caliginoſa, ac perpetuis peccatorum tenebris obſita vita, in qua ita verſati ſunt ut ne tenuis quidem ipſis veritatis radius illuxerit, repente ad clariſſimum divinæ juſtitiæ ſolem Chriſtum aſpiciendum emerſerint, adeo à tanta tamque fulgenti luce, cui inſpiciundæ ſe nunquam aſſuefecerat, ſibi præſtingui oculorum aciem ſentient, ut cæci, & amentibus ſimiles, conſilii ac rationis inopes, ipſi in ſceleratorum ſedes & æterna ſupplicia ſint præcipites ſeſe daturi, tum diſcent, quam ſit miſerum, in futurum non proſpicere, ſed tum demum, ut eſt in proverbio, fodere puteum, cum ſitis fauces urgeat. atque hæc extremi judicii ſive oblivio ſive incogitantia tantam in eum, qui ab ipſa teneatur, malorum vim attrahet, ut Regius Vates, de eo ſermonem habens cum Deo, qui divinam ſuam majeſtatem non vereatur ac metuat, quique ſuis ſceleribus atque flagitiis perpetuo novas illi injurias & contumelias inferre non dubitet, nullum illi majus ſupplicium, nullam acerbiorem pœnam, deprecetur, quam ut eum à divini

ipſius judicii cogitatione deſeri deſtituique permittat. Auferantur, inquit, judicia tua à facie ejus; quo nimirum acerbiora & inſuaviora ea experiatur. etenim, in duplici, ut ita dicam, ſaporis varietate verſantur: aut enim ita ſunt amara, ut mel & abſynthium ſaccarum eſſe dixeris, præ illorum amarities acerbitaſque, quæ affert; aut eam ſuavitatem ac dulcedinem habent, ut mel ac favus ne comparandus quidem ad illorum dulcitudinem ſit, ideoque ab eodem Davide dulciora ſuper mel & favum eſſe dicuntur. quam ſaporum diverſitatem, in divinis judiciis, non tam judicia ipſa, quam rerum in judicium deductarum diſcrimen ac varietas, gignit. divinum enim judicium, quæ in nobis, qui ob corpus mortale ac diſſolvendum, quod gerimus, cerei cujuſdam ſimilitudinem favi referimus, incluſa tenentur, exprimit, ac colligit; hæc ſi bona, ſi dulcia, ſi ſalutaria ſint, quæ de illis fient judicia, dulcia, jucunda, ac ſalutaria exiſtent; ſin autem, tetra, pernicioſa, amara, judicia item illis ſimilia reſultabunt ac conſequentur. quod, ut manifeſtius appareat, neminem noſtrum debet effugere, dum in hac vita verſamur, omnes nos ad apum ſimilitudinem atque rationem, circa res humanas, cibi inveniendi colligendique cauſa, volitare atque procurrere; ac, ſicut apes non ejuſdem probitatis ac ſalubritatis mel pariunt, ſed ex pabuli, hoc eſt, ex florum diverſitate, quos carpunt, aliæ ſalubre, ſuave, ac medicamentis aptum mel condunt, aliæ inſalubre, exitiale, ac venenatum apportant, atque intra alvearia condunt; ita nos etiam, quæ ex noxiis venenoque infectis voluptatum floribus, ex divitiarum amœnitate, contrahimus, extremi judicii die, ejuſdem vi ſeveritatis expreſſa, utpote venenata atq; lethalia, ad nos morte amaritudineque imbuendos complendoſque valebunt; quæ autem ex virtutibus, quas tanquam flores perſecuti fuimus, collegimus, quia incredibili ſuavitate atque ſalute ſunt prædita, quid, niſi nos delectandi, fovendi, ſummaque voluptate perfundendi, vim habeant neceſſe eſt! Eſt aliqua in divino extremoque judicio preſſura; quis neget? nam, cur David recuſaret in illud venire, cum diceret, Et non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine?

mine? ſed demum, quod ex ea preſſura colligitur, tanta cum dulcedine ac ſuavitate conjunctum eſt, ut, quos ex iis judiciis ſalus æterna ſervaverit, ſint exclamaturi: Iudicia tua, Domine, dulciora ſuper mel & favum. Improbi igitur, qui divina judicia nihil metuunt, nihil exhorrent, in quorum cogitationem non cadit, nec quam illa gravia quamque ſevera futura ſint, neque quanta autoritate, majeſtate, ac potentia, præditus ſit ille judex, ad quem citati, neceſſe eſt, ut veniant, adſint, reſpondeant, cauſam dicant; in quem, ut Paulus Apoſtolus inquit, horrendum eſt incidere; quonam, inquam, terrore, qua formidine, expalleſcent, horrebunt, exanimabuntur, cum ex improviſo tuba illa, qua perpetuo D. Hieronymus aures ſuas perſonare ajebat, horribilem illam vocem effundet, quæ non tam aures ipſorum feriat, quam animum fodiat atque tranſverberet: Surgite mortui, venite ad judicium? etenim fiet, ut non minus perterreantur, quam noſtrum unuſquiſque, ſi ſuis ſe oculis ſol, qui cuncta illuſtrat ac complet, nigra caligine obſitus, ac luna, ſanguinis rivos longe lateque diffundens, objiciat, ac ſi ſtellæ, è cælo ruentes, omnia hæc inferiora, ſua ruina, comprehendant atque obruant. Neque ſolum judicialis ille dies, quemadmodum Chriſtus dixit in Euangelio, erit omnibus illis prodigiis, quæ numeravimus, horribilis ac formidabilis, verum etiam, id quod incredibile vel potius horrendum eſt dictu, ea luce clarus atque conſpicuus exiſtit, ut non ſolum ædium parietes ſit penetraturus, & ad ea cubicula pervaſurus, quæ nocturnis flagrant ſtupris atque flagitiis, ſed ad intima etiam cordium cubilia perventurus, quæque ibi obſcura erant nocte involuta atque recondita, palam omnibus facturus. longe lux diei illius erit luci illi diſſimilis, qua nunc fruimur, cujuſque beneficio pulcherrimum hunc mundi totius ornatum aſpicimus. hæc enim ita, in ea quæ cernimus, ſeſe extendit, ita radios ſuos, ad ea illuminanda, diffundit, ut earum tantum ſuperficiem, hoc eſt, eam partem quæ patet ad oculos, ut ita dicam, lambat ac radat, nec pili quidem unius craſſitudine introrſum ſe inferat, niſi ob eorum perſpicuitatem ſibi intus ad ea aditus

pateat. at lux ejus diei, quæ illuminabit abſcondita tenebrarum, penetrabit etiam in ea, quæ, ob denſitatem ſoliditatemque, naturam & conditionem non habent, ut poſſint intra ſe lumen accipere, illudque in alia transfundere. Duo ſunt, quæ penitus oculorum noſtrorum aciem effugiunt. primum, conſcientiæ hominum; quis enim poteſt, niſi ſit Deus, ad intimos earum receſſus pervenire, quæque ibi latent, inſpicere? quis abditas uniuſcujuſque cogitationes aſſequi? quis noſſe, quod facinus mente & cogitatione conceperit, quo clam ac ſine arbitris ſcelere ſe obſtrinxerit, quibus flagitiis coinquinarit? ut propterea Rex David, pravum & inſcrutabile cor hominis, dixerit: at tum, ejus diei lucis acceſſu, omnia illa arcana patebunt, & quaſi in tabulis quibuſdam ſcripta legentur. Ajunt, eum, qui habeat neceſſe, arcanum aliquod communicare cum altero, neque illud audeat literis, atramento ſcriptis, palam committere, atramenti loco, mali limonii ſuccum adhibere, eoque, aliqua in charta, quidquid aliis eſſe velit occultum, & amicis apertum, exarare; qui ſuccus, cum nullius ſit plane coloris, nulla in ea charta, cui imprimitur, literarum veſtigia relinquit, ſed, ſi igni admoveatur, ſimul ac ejus vim caloris admittit, continuo literarum notas, quæ antea occultabantur, exponit, facitque illi, ad quem miſſæ fuerant, legendi poteſtatem. ita etiam, quæcunque, dum ſpiritum hunc ducimus (niſi ſit aliquis, quem non ſolum vitia ſed vitiorum fama delectet,) ſoli, ac ſine teſte, turpiter flagitioſeque committimus, in conſcientiis noſtris, tanquam quibuſdam in tabulis vel codicibus, quaſi quodam mali limonii ſucco, ut ceteros lateant, deſcripta gerimus; idque nobis conſilium interdum non male ſuccedit; ſed judicis adventu, cum ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus, ſtatim omnium flagitiorum notæ, omnium criminum maculæ, niſi eas pœnitentia deleverit, tanquam ea quæ ſunt literis conſignata, in conſpectum, ut poſſint ab omnibus legi, ſe dabunt. Alterum, quod hominum notitiæ, utpote magna obſcuritate involutum, eripitur, ſunt judicia juſtorum, qui longe ſecus de rebus humanis ſentiunt

ac

ac ſtatuunt, atque communis omnium hominum ferat opinio. etenim improborum natio cum videat, rerum earum precia, quæ ab omnibus ita efferuntur, ſic, juſtorum æſtimatione, proſtrata & abjecta jacere, ut nihil ſit apud eos abjectius, nihilque contemtius, eorum rationem, quam ſtultam & ineptam judicant, ſatis mirari non queunt. Itane, ajunt, quæ prima, omnium conſenſu, putantur, ſine quibus, vita beata qualis ſit, ne intelligi quidem poteſt, ut ſunt divitiæ, honores, imperia, opes, gloria, nobilitas, ac fama popularis, addo etiam voluptates, quibus infinitus pene hominum numerus illaqueandum poſſidendumque ſe tradit, ſoli iſti contemnunt, pro nihilo putant, ac non ſolum in rebus bonis expetendiſque non ducunt, verum etiam propemodum in malis maximeque fugiendis enumerant? nobis quidem iſti, quibus id, tam abſurdum, tamque à communi opinione abhorrens, eſt perſuaſum, non Deus, ut volunt ipſi, propitius, ſed iratus infeſtuſque videtur. At unicuique eorum, quorum ſapientiſſima judicia, illorum irriſione, luduntur, in quorum animis nec judicii extremi terror, nec futurorum æternitas ſeculorum inhæret, ſed ad ea, quæ vident, omnia referunt, ita loquitur Deus: Ne te iſtorum voces & ludibria moveant; nam dies, quo ego, vivorum ac mortuorum judex, advenero, educet, ſicut lumen, juſtitiam tuam & judicium tuum ſicut meridiem. quaſi dicat: Noli mirari, ſi judicii tui ratio irriſoribus tuis non conſtet; nam denſiſſimis circumfuſa tenebris occultatur; ſed, ſimul ac judicii mei dies tenebras illas diſcutiet, clariſſimam ac lucidiſſimam eam eſſe oſtendet. Ac magnam D. Auguſtinus in verbo, meridie, ad explicandam illius claritatem, vim ponit. nam ſemper dies, cum ſol terras illuſtrat, eſt lucidus, ſed modo magis, modo minus, prout ſol ad terras propius accedit, vel longius ab eis recedit; at nunquam clariori luce refulget, quam in meridie. ita etiam juſtorum ſana judicia nihilo clarius meridiana luce, improborum fulgebunt ad oculos; tum illi, tanquam ſi ex abditis ac perpetua offuſis nocte ſedibus, in diem evaderent atque exirent, nullum ſibi juſtitiæ lumen illuxiſſe, ſed ſub te-

nebris ſemper habitaviſſe, fatebuntur, quæ eſſent impedimento, ne ea viderent, quæ eſſent meridiana luce clariora; tum intimo acerbiſſimoque animi dolore oppreſſi clamabunt, ſe non ſolum ſine mente ac ſine ſenſu, verum etiam furiis ardentibus actos fuiſſe, cum ſapientiſſima juſtorum conſilia atque judicia, præ dementiſſimis ſuis rationibus ac judiciis, irriderent atque contemnerent, ſeque inſenſatos dicènt, qui vitam illorum exiſtimarent inſaniam, & finem illorum ſine honore. His igitur flebilibus ac miſerabilibus vocibus ac lacrimis improborum, quas veritas & ratio expreſſit, edocti, diſcamus, venturum judicem Chriſtum metuere; ejuſque miſericordiam, bonis operibus, ac dignis pœnitentiæ fructibus, promereri ſtudeamus; deinde properemus, judicium noſtrum cum illorum judicio conjungere, qui in rebus humanis, ſuis momentis ac ponderibus, examinandis, meliori & æquiori ſtatera, quam vulgus imperitorum & improborum, utantur.

SERMO III, DE METV GEHENNÆ.

VEterum Stoicorum doctrina illud tradebatur in primis, animum ſapientis omni perturbatione liberum eſſe debere, non metu terreri, quem definiunt eſſe opinionem impendentis mali; non ægritudine affici, quam dicunt eſſe opinionem recentem mali præſentis; non libidine concitari, quæ effrenata quædam rei cujuſpiam appetentia eſt; non lætitia efferri, quæ intemperans ac profuſa, ab illis, hilaritas appellatur: quamobrem omnes has perturbationes, utpote ex errorum ortas radicibus, non ſolum eſſe circumcidendas & amputandas, ut Peripatetici docent, verum etiam funditus evellendas, ac penitus extrahendas removendaſque, defendunt. Et, ad timorem quod attinet, princeps Peripateticorum Ariſtoteles, in ſuis moralium libris, ſi ſit ratione ſuſceptus, eum ait eſſe utilem & laudabilem, cum videlicet ea ventura timentur, quæ rationem habent cur metuantur; quemadmodum eſt, infamia, ac ſcelerum pœnæ: quique ſemper eſt in metu, ne quidquam eorum, merito ſuo, ſibi contigiſſe dicatur,

hic,

hic, inquit, honeſti, prudentis, & laudabilis, eſt viri honore & appellatione condecorandus. Quod Ariſto... placitum, quamvis Stoicorum ſententiæ repugnet, qui perturbationem omnem ajunt eſſe motum, à ratione averſum; tamen eſt cum Chriſti Salvatoris noſtri doctrina mire conveniens; qui non ſolum noſtro ab animo metum non abigit, verum etiam, ſi non adſit, ad eum advocat, & inſuper, quid ſit metuendum, edocet, cum ait: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed timete eum, qui, cum occiderit corpus, animam poteſt mittere in Gehennam. At Nazianzenus adeo timorem à ſapiente, tanquam inutilem & alienum, non excludit, ut etiam eundem in illo, quaſi ſolum & fundamentum ubi ſapientia conſtituatur, efflagitet. Quod dictum, minime aberrat ab eo, quod, in ſacris literis, nobis tantopere inſinuatur; nempe, ſapientiam, à timore Domini, initium atque ortum habere. Ac merito; nam, timore ſublato, non erit ubi fundari exædificarique ſpiritualis fabrica poſſit; eodem admiſſo, & quaſi ſubſtrato, ingentes ſupra ipſum moles excitantur; quarum altitudo quo perveniat, ab ipſo, quam à me, potius accipite, qui, tanquam per gradus aſcendens: Vbi timor, ait, ibi mandatorum obſervantia; ubi hæc obſervantia, ibi carnis mundicia, ibi ſplendor; ubi ſplendor, ibi deſiderium expletur eorum, qui res maximas, vel ipſum maximum, expetunt. Ne multa; hæc ſpiritualis quaſi exſtructio, firmitate innixa timoris, ita in altum excreſcit, ut proxime ad Deum accedat, vel Deum potius attingat; quique eam ſibi extructionem paravit expolivitque, ita Deo conglutinatur & adſtringitur, ut unum propemodum cum illo efficiatur. ſed tantum hoc opus, ſolus metus, ut diximus, ſuſtinet; ſed non quivis metus, non quidem paupertatis & inopiæ metus, non falſæ accuſationis & iniqui judicii pavor, non injuriarum & exilii formido, non tormentorum terror ac mortis, (nam, hæc omnia contemnenda, ac pro nihilo ducenda, Chriſtus edixit,) ſed timor Gehennæ. Ac jure hic præ ceteris timor ſolicitos habere nos debet. etenim nihil eſt, quod innatæ omnibus hominibus felicitatis

cupiditati

cupiditati contrarium ſit magis, quam æternorum apud inferos ſuppliciorum acerbitas. homo enim, ſimul ac in lucem eſt editus, omnes ingenii induſtriæque ſuæ nervos, tantum quantum audet & quantum poteſt, tanquam ad ſcopum, ad beatitudinem conſequendam habet intentos. eſt quidem ille, ob peccatum quod admiſit, de ea felicitate, ad quam fuerat factus, everſus, ſed non ab ejuſdem cupiditatis ardore ſejunctus; immo, nihil eſt in quo magis effuſas ſuas cupiditates habeat, nihil eſt quod magis impenſe deſideret. quænam flamma eſt, per quam non currant ii, quos voluptatum, honorum, divitiarumque cupido percepit, & conſtrictos tenet? at, ſi quæratur ab iis, quod propoſitum habeant, quid ſpectent, reſpondebunt; ut ſint beati; propterea quod exiſtiment, in iis rebus, ad quas ita incitato ſtudio feruntur, ſatis eſſe præſidii ab bene beateque vivendum. O me beatum, ait ille qui ambitionis labore diſtrictus detinetur, ſi ad honorem illum, cui inhio, pervenire contingat! Quis, inquit ille alter qui ex amiculæ amore inſanit, æque in terris fuerit fortunatus atque ego, ſi ejus fiam compos, quæ mihi miſero amanti ebibit ſanguinem? Ego, clamat ille alter, Reges divitiis ſuperabo, ſi, in meis mercimoniis emendis vendendiſque, lætus lucris afficiar. O ſtultos ac miſeros! norunt, peccato comitem ſemper eſſe miſeriam, ac nihil illi eſſe cum felicitate commune; & tamen, peccando, poſſe ſe putant à miſeriæ terminis recedere, & ad felicitatis fines accedere; nec miſeri intelligunt, eodem, unde fugiunt, remigio veloque, quantum poteſt, feſtinare atque contendere. Hoc verum eſt adeo, ut nec veteres illi Philoſophi, qui ſummum bonum in voluptate ſitum eſſe docebant, ſint auſi negare. num Epicurus, hujus ſectæ autor ac princeps, peccatum nobis conciliare & amicum facere ſtudet, eo quod aliqua ex illo delectatio voluptaſque contingat? immo nihil eſt, quod magis in odium conetur adducere; non quia peccatum eſt, ſed quia omnes ad veram voluptatem otiumque vias adituſque præcludat. præterea, Chriſtianis præceptis edocti, pro comperto habent, omnes, qui ſe peccatorum ſordibus contaminarunt, qui, ab jure, ab æquitate,

ab

ab officio diſceſſerunt, poſt mortem æternis ignibus tradi (nam hoc pœnæ genere peccata hominum vindicantur,) & tamen tanquam hæc, ad quæ credenda, ea quam profitentur fide, ducuntur, tanquam aniles ſint fabulæ, vel poëtarum pictorumque portenta, à cogitatione ſua repellunt, atque ita à libidinibus, quibus obſtricti tenentur, excæcari ſe ſinunt, ut in vitiis atque flagitiis beatam vitam exquirendam eſſe conſtituant. De quibus quid dicam, neſcio, niſi id, quod neceſſe eſt, vel ea, quibus voce ſe aſſentiri ajunt, longiſſime ab opinione ipſorum abeſſe, vel alienatæ eos mentis vitio laborare. Quid? iiſne mens ſatis & ratio conſtare dicatur, qui iis in rebus ſibi domicilium beatitudinis, quæ nullis unquam finibus terminatur, ædificant; quibus, puncto temporis, carere poſſimus? qui, cum, experientia, perceptum habeant, divitias, honores, ac voluptates effluere; neque ullum ſui veſtigium relinquere, in illis tamen ita vivunt; ut ſi in poſſeſſionem ſuam venerint, unde nulla vi deturbari ac dejici queant, vel, ut Seneca inquit, tanquam ſemper victuri vivant; neque unquam fragilitas ipſorum occurrat? Et miramur, iſtorum ſtultitiam improbitatemque, poſt mortem, æternis pœnis ſuppliciiſque ſanciri? Immo, mirandum potius eſſet, ſi aliquis, eorum malitiæ, malorum ſuppliciorumque terminus conſtitueretur, neque eadem, ſeculis glomerata omnibus clade afficerentur. nam, quid divinæ juſtitiæ conveniens eſt magis, quam illud æterni temporis ſpacium, quod libidinibus ſuis dari, ut in eis perpetuo ſe volutare poſſent, optabant, iis pœnis attribui, qnibus libidines illæ coërcebuntur, adeo, ut omnis ab illis finis arceatur? quid enim, ambitioſus, avarus, elatus, dum maxime cupiditatibus ſuis deſervit, ita velit, quam ut, ſi fieri poſſit, cæli converſio curſuſque, unde res omnes habent ut ad ſui corruptionem & interitum properent, conſiſtat, ſeque movendi finem faciat, omnia cingens atque coërcens, cæli complexus? at hic tandem in æternam illius perniciem inſiſtet, nec circa terram, ut antea, rato atque immutabili curſu volvetur, tum qualitates illas, inter ſe contrarias, quibus corpus mortale componitur & perpetuis diſcordiis agitatur,

æterno pacis nexus devinciet, ne illarum pugna, ejus interitus conſequatur; quæ pax corpori jam inde uſque à primi hominis ortu contigiſſet, ſi ille manere in Dei poteſtate obedientiaque voluiſſet. O rem horribilem, cujus vel ſola cogitatio iis, qui ſe in eam immerſerint, vitam poſſit adimere! O rem, inquam, horribilem, quibus antea tanto mors odio erat, ut nihil cuperent à domi ſuæ foribus longius abeſſe, ne per eam à vitiis abſtraherentur quibus hærebant, eandem poſtea in beneficii gratiæque loco efflagitabunt, tanquam ærumnarum requiem, finemque malorum, nec poterunt impetrare! nam quærent mortem, & mors fugiet ab eis. atque Iſaias tantum in hac cogitatione ponit eſſe momenti, ut nullam rem aliam, ad homines perterrendos, à vitiis abducendos, & ad pœnitentiam abſtrahendos, majorem habere vim dicat. notum eſt illud ejus dictum, & omnium ſermonibus uſurpatum: Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? Atque hac poſt mortem redivivum peſte mactabitur corpus, ita opipare, ita delicate, ita molliter à nobis curatum & cultum; ſed in ejuſdem ſocietatem pœnæ ſecum abſtrahet animum, quem ſuis blandiciis in fraudem illexit, atque ad inferendam Deo injuriam inſtruxit, quæ pœna multo ipſi gravior, quam corpori, intolerabiliorque continget, quoniam inferetur ab eo, qui longe eſt inferioris ordinis atque naturæ quam ipſa. ignis enim corporalis res eſt, animus vero funditus omnis expers eſt corporis. quantum igitur quamque acerbum dolorem capiet, cum ſentiet, ſe à re viliſſima, tantoque intervallo infra ſuæ dignitatis faſtigium poſita, premi, excruciari, torreri? non eadem pœna æque gravis eſt viro principi, atque infimæ ſortis homini. nam, quæ pœna vix levem privato moleſtiam & contumeliam inferret, Regi, ob præſtantiam ſuæ dignitatis, graviſſimam & intolerabilem ignominiam & dolorem inurit. Ergo totus homo, qui conſtat ex animo & corpore, in miſeriam detrudetur æternam, atque utraque ejus pars ſemper erit infelix. nam, quemadmodum vera felicitas, ſecretis malis omnibus, univerſas corporis animique

mique partes bonis omnibus cumulat, item, ex contrario, ſumma miſeria (ſummam eam dico, cui nihil addi poteſt,) tum animum, tum corpus, omnium complexione malorum amplectetur. Atque, ad animum quod attinet, quoties ille in aliquam in Deum fraudem crimenque delabitur, duorum ſe ſcelerum laqueis nexuque conſtringit. primum à Deo, autore ſuo, turpiter deficit; tum, ad res, infinitis partibus Deo inferiores, tanquam ad hoſtium caſtra, ſe confert. Atque, ut à poſtremo exordiar, quænam major inferri Deo injuria poteſt, quam, quidquam illo eſſe præſtantius, exiſtimare? quid eſt, in quo magis ille deſipiat, quam cum vitæ beatæ finem in vitiis peccatiſque conſtituit? ubinam illi mens adeſt & ratio, quæ cum ſciat, ſe præſtantiſſimam, incorruptam, Deoque ſimilem naturam eſſe, & in ſpem felicitatis æternæ procreatam, ſummum tamen bonum, terræ ſordibus limoque terræ, definiat, ac ſatis in iis, ad bene beateque vivendum, vim eſſe? nec, tanta hæc ejus in Deum injuria alio animadverſionis genere vindicanda eſt, niſi ut inter ejecta cadavera, putrida, corrupta, ac fœtida, projiciatur, niſi ut in imum terræ centrum detrudatur, niſi ut æternis ignibus, tanquam Prometheus ad Caucaſum, trabali quaſi clavo hæſurus detineatur. quibus ignibus animus, quamvis non aliquo, ut corpus, terreno principiorum genere concretus, miſecrandum in modum, ſine fine, cremabitur. cujus animadverſionis magnitudinem, quænam cujuſquam eloquentia, quamvis profluens & opima, poteſt exæquare dicendo? poteſtne naturæ adeo præſtanti, adeo nobili, adeo liberæ, indignius quidquam accidere, quam cum corporis vincula ruperit, ab igne ſibi vim fieri, ne hæc inferiora perrumpat, ac ſuperiora capeſſat, neque antea faciat ſe efferendi finem, quam in cælum, quaſi in domicilium ſuum, perveniat, &, quod omnem dicendi facultatem exſuperat, pro cælo, ad quod genitus fuerat, in loca infima, tetra, formidoloſa, tenebris obſita, rapi, quorum viſione ac ſpecie, incredibili formidine, concutiatur? deinde (id, cui antea prævertendum fuerat, ſed in ſecundum dicendi locum rejecimus,) animus, qui ſe à Deo, cui perpetuo inhæ-

inhærere jus fuerat, abſtraxit, pœnam, ſi non ſceleri parem, quod fieri non poteſt, (nam oporteret, nullis eam finibus terminari, ſicut Deus, quem violavit, nullis terminis definitur,) attamen omnium maximam ſibi paratam inveniet, conſcientiæ nimirum vermem, quem vocant; quæ pœna adeo eſt dictu gravis, adeo perpeſſu aſpera, ut, in ea explicanda, viri omnium ſanctiſſimi eloquentiſſimique haſtas abjiciant, atque à ſua ſe eloquentia deſeri, ac verba, ad ipſam efferendam apta, ſibi non ſuppeditari querantur. Quæritur ab iis, cuinam major ad torquendum animum excruciandumque vis inſit; igine inferno, naturali ex materia excitato, an vermi huic voraciſſimo, de quo nobis eſt ſermo; quem nihil aliud, niſi verum atque acre conſcientiæ noſtræ adverſus nos teſtimonium ac morſum eſſe definiunt. qui, poſtquam ſatis graviter copioſeque in utranque partem diſſeruerunt, omnes denique uno ore concludunt, multò acrius acerbiuſque, damnatos, ab hoc morſu dilaniari, quam ab illo igne cruciari. atque, ad id confirmandum, hoc præſertim argumento ducuntur. ajunt enim, doloris cujuſque magnitudinem tribus ex rebus, tanquam ſtatera quadam, expendi. primum ex eò, quod dolorem illum conflavit. nam, ſi validum illud ſit ac robuſtum, magnum excitabit cruciatum; ſi infirmum ac leve, dolorem etiam minimum afferet. verbi gratia, acriorem morſum doloris inuret leo, cui dentes impingit, quam pulex, cui cruorem exſuget. tum magnitudo doloris cujuſque ex illius natura colligitur, in quem dolor cadit; ſi nimirum eſt ad eum excipiendum idoneus; poſtremo, ex conjunctione cauſæ, dolorem afferentis, cum eo cui illa eum importat; etenim, quò arctius vel remiſſius illi copulatur inſidetque, eò etiam majorem minoremve cruciatum infliget. quis non fateatur, minus ſe moleſtiæ percipere ex morbo, qui in ſumma corporis parte verſetur, quam ex eo qui viſcera etiam atque oſſa vitiavit? His probe ſtabilitis ac fixis; malum, quod apud inferos animum perenni cruciatu torquebit, eſt maximum omnium malorum; immo eſt ejuſmodi, ut omnia hujus vitæ mala, in unum collata, vix minimam ejus partem aſſequi

queant.

queant. Quænam tanta eſt vis mali, quæ æquari conferrique poſſit cum æterna ſummi illius boni, ſcilicet Dei, privatione, in cujus ſpem boni fuerat procreatus, & ſine quo abſolutionem perfectionemque ſuam aſſequi nequit? quæ tanti boni privatio quid habeat in ſe mali, ita aperte, ita dilucide, ita ſine ullo errore, ejus intelligentiæ ſe offeret, ut hæc ſola cognitio plus pœnarum ac tormentorum illi ſit allatura, quam vis illa ignis æterni, qua vinctus obſtrictuſque, ne poſſit ſe commovere, tenebitur. Cujus rei ratio non verſatur in obſcuritate naturæ, ſed, tanquam ea quæ oculis cernuntur, apparet. etenim operatio ignis, utpote corporalis, nihil habet rationis cum animo, qui res incorporalis eſt, & ſub aſpectum tactumque non cadit; ac ſi in eum ignis ardor, tanquam illiquefactus, ſe ſe infundit, non id ille ex ſua vi habet, ſed ex ſeveritate divinæ juſtitiæ conſequitur, à qua, ad vindicandas injurias, ab animo ſibi factas, præter naturæ ordinem, tanquam inſtrumentum, aſſumitur. at pœna, de qua loquimur, omnino res ſpiritualis eſt tota, nec habet quidquam commune cum corpore. itaque ex ſeſe, ſine alterius cujuſquam ope, in animum, qui eſt ejuſdem cum ipſa rationis, ad ipſum excruciandum illabitur. poſtremo, nexus atque conjunctio, qua, pœna iſta ſe cum anima implicat atque connectit, ea eſt, qua nulla ne excogitari quidem poſſit adſtrictior; ſiquidem arctius inter ſe conglutinantur ac cohærent quæ ejuſdem ſunt naturæ, quam quæ diverſæ atque inter ſe diſcrepantes. quamobrem cum vermis conſcientiæ pœna ab animæ natura non diſcrepet, ſed cum ea mire conveniat; utraque enim non ſenſibus corporis ſed mentis intelligentia percipitur; cui non ſit perſpicuum, eam interius in animam illapſuram, eamque tetrius & acerbius dilaceraturam, quam quamvis aliam pœnam, quæ ſit illi natura diſſimilis, nempe conſtans è corpore? D Gregorius magnus, cum conaretur, aliquo nobis ſimili, qui adhuc ſumus in corpore, ac ſenſibus ad intelligendum ducimur, ejus magnitudinem pœnæ oſtendere, & tanquam ante oculos ponere, nullam potuit aptiorem rem aliam invenire, quam cum ea in comparatione conjungeret, niſi fornacem in-

 cenſam,

cenſam, quæ perennes nulloque interituras ævo flammas evomeret; itaque, eos, quos, æterno mactandos infortunio, Orcus ad ſe recepit, fornacem Babylonicâ illâ immaniorem ardentioremque, dixit, intus in animo gerere, vermem nimirum conſcientiæ, cujus perpetuo morſu diſtrahantur, dilanientur, ac dilacerentur. Alii vero ſanctiſſimi viri, magnitudinem hujus doloris, hoc potiſſimum argumento ſunt explicare conati. quænam, inquiunt, voluptates majori nos delectatione ac ſuavitate comprehendunt? animi ne? cujuſmodi ſunt illæ, quibus, rationibus agitandis exquirendiſque, mens alitur, qui eſt unus ſuaviſſimus paſtus animorum. an corporis. ut ſunt eæ quæ illud, aurium, oculorum, tactionum, odorationum, & ſaporum illecebris & ſuavitate demulcent. At reſpondet Bernardus, in quadam epiſtola; corporis voluptates quaſcunque, quantumvis maximas, ne comparandas quidem ad eas eſſe, quibus anima perfunditur, quæ, ab his inferioribus abſtracta, mente & cogitatione peregrinatur in cælo. nam, Guſtato, inquit, ſpiritu, neceſſe eſt, deſipere carnem; affectanti cæleſtia, terrena non ſapiunt; æternis inhianti, faſtidio ſunt momentanea. Ex contrario igitur, ſi voluptates animi, longo intervallo, iis præſtant, quibus ducuntur ii, qui ſe vitiorum ſordibus & voluptatum lenociniis dediderunt; conſequens eſt, ut animi cruciamenta, quibuſvis corporis doloribus, non parum multis ſint partibus ſuperiora. Sed, ut extremum aliquod habeat oratio mea, eam hoc, quod breviter ſum dicturus, perorabo atque concludam. nimirum, quoſdam è numero Chriſtianorum eſſe qui mortui, quoſdam qui vivi, ad inferorum ſedes ſeſe demittant. illi in eas vivi deſcendunt, quos, nulla unquam Dei, nulla rerum divinarum atque cæleſtium cogitatio ſubit, ſed, pecudum more, ſuavia in præſentia quæ ſint, prima ducunt, & ſomno, conviviis, ac delectationi, ſe natos arbitrantur. illi vero, etiam nunc vivi, properant, ad damnatorum loca ſeſe detrudere, de quibus loquebatur Rex David, cum diceret: Deſcendant in infernum viventes; qui videlicet quotidie decantari ſibi audiunt, eſſe inferos, peccatis atque ſceleribus æterna

ſuppli-

ſupplicia deberi, tum id, quod audiunt, approbatione ſua, verum eſſe, confirmant; ſciunt, ut Auguſtinus in ejus loci interpretatione ait, malum eſſe quod faciunt, & tamen faciunt, ac viventes abſorberi ſe hiatu terræ, hoc eſt, terrenarum cupiditatum devoratione, patiuntur. Quidnam aliud de iſtis fateri neceſſe eſt, niſi eos, prudentes ſcientes, vivos videnteſque, ſeſe in inferos præcipites dare? Demus igitur operam, omittendis voluptatibus, relinquendis ſtudiis delectationis, deſerendis tempeſtive impuriſſimorum hominum conviviis ac commiſſationibus, aſpernanda oculis earum pulcritudine rerum, à quibus cupiditates noſtras cohibere jubemur, ne in eorum numero inveniamur, qui vel viventes vel mortui aditum ſibi ad inferos muniunt.

SERMO IV, DE ÆTERNA FELICITATE SANCTORVM.

Simile eſt Regnum cælorum, homini negociatori, quærenti bonas margaritas; inventa autem una precioſa margarita, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.
Matth. XIII, 45.

DVplex nobis de felicitate patriæ cæleſtis, ad quam nati & facti ſumus, diſſerendi ratio oſtenditur. primum, ut, copioſa & diſerta oratione, bona illa enumeremus, quibus illa, ſecluſis omnibus malis, exuberat; quod à Bernardo aliiſque ſanctis & doctis viris factitatum eſſe comperimus. deinde, ut rationem modumque, quo ea comparari poſſit, in medium afferamus. Prima ratio, jucunditatis, ad audiendum, plurimum continet, ſed ad agendum, plerunque vim minimam habet. nam, ſi quiſquam, quantumvis eloquens, docte copioſeque in eorum enumeratione verſetur, quibus vita beata circumfluit, quidnam ego, ex hoc ejus ſermone, utilitatis ac fructus accipiam? non plus ſane, quam ſi quis ingentes theſauri cujuſpiam divitias, nempe

vim auri & argenti, unionum ac gemmarum magnitudinem, ſplendorem, numerum referat, verbis extollat, laudibus exornet. etenim, hac ejus eloquentia, ne ramenta quidem aurea vel argentea fiam locupletior: at, quando aliquid ab eo, quod ad me pertineat, dici arbitrabor, ecquando in ſpem ejus theſauri potiundi vocari me ſentiam? cum nimirum ſigna & notas locorum indicabit, ubi ille contineatur; cum rationem oſtendet, qua idem defodi, nulloque labore reperiri atque abſtrahi poſſit. id Chriſtus, qui nihil ocioſe, nihilque fruſtra molitur, hac oratione ſimilique perſequitur: Simile eſt regnum cælorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas. qua oratione rationem nobis tradit ac viam, qua regni cæleſtis theſauros ad noſtrum dominatum poſſeſſionemque convertamus; eamque in tria membra partitur. ac primum, cum dicit, Simile eſt regnum cælorum homini negociatori; vult, eum, qui illorum potiundi ſit cupidus, quaſi mercatoris perſonam agere, eorumque quærendi inveſtigandique laborem ſtudiumque ſuſcipere. at, qui mercatum quopiam accedit, duo ſecum ferat oportet: pecuniam primum; nam ſi ad merces coëmendas inanis à pecunia proficiſcatur, nugas aget: deinde, ad labores & incommoda perferenda, patientiam ac tolerantiam; quia, ſi ſit impatiens itineris ac moleſtiarum, quæ non poſſunt ab itinere eſſe ſejunctæ, raro vel nunquam eo perveniet, unde, precioſis mercibus locupletatus, domum ad ſuos ſeſe recipiat. Et ad pecuniam quod attinet, unde homo tantum habeat nummorum, quantum ſit, ad regnum cælorum in ſuam ditionem redigendum, ſatis? qui, cum Deo dicit, Inops & pauper ſum ego, quidnam aliud dicit, niſi, in nullis ſe eſſe nummis? immo in ſumma rerum omnium inopia & egeſtate verſari fatetur. at bene ſecum ageretur, ſi iſtuc, quod verbis dicit, cum animo conſentiret, neque intus, per arrogantiam, auri ſibi montes eſſe jactaret. nam ſatis pecunia inſtructus, ad id mercimonii emendum accederet. non enim aliam ejus à nobis mercedem exigit Chriſtus, præter veram & intrinſecam paupertatis inopiæque noſtræ confeſſionem, cum dicat, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum

rum eſt regnum cælorum. at, ſi defendas, negociatori, quo mercatoris nomen tueri poſſit, præſenti opus eſſe pecunia, cujus te expertem eſſe intelligas; ne time, ne animum deſponde; præſto eſt Paterfamilias, liberalis atque beneficus, qui pecuniam, mercatum ire volenti, ſua adnumeret manu; atque huic dat quinque talenta, huic duo, alteri unum. at, ſi quæris, quænam ſint iſta talenta, ego dicam; audi. Talentum eſt animus, æquus in rebus adverſis, demiſſus in ſecundis; talentum eſt fortitudo in periculis, continentia in rerum omnium abundantia. hæc talenta cunctis, qui velint accipere, numerat Deus. ſed ſi acceperis, moneo, ne otioſus domi ſedeas, ſed ſtatim in mercatura verſaris; videlicet, ut injuriis expetitus, patientia, honoribus & divitiis auctus, demiſſione animi ac liberalitate, periculis circumventus, fortitudine, quæ ſunt Dei dona, utaris. meminiſſe debes, quam ſevere animadverſum ſit in eum, qui, cum talentum ſibi traditum defodiſſet, ſe inertiæ deſidiæque tradiderat, neque mercaturæ ſtuduerat. At rurſus, inquies, quidnam rationis habent, cum regno Dei, res iſtæ, in quarum memoriam cum incurriſſet Paulus Apoſtolus, Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ait, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis? ſed dubitationem tuam reſolvit ipſum talenti vocabulum. nam talentum eſt quædam ſumma nummorum; nummus autem non eſt naturæ ſed hominum inventum, ab eiſque æſtimationem accipit. quamobrem, non unum eſt ejus apud omnes, ſed varium apud varios populos, precium, nimirum pro cujuſque Reip. commodo; quod plerunque augetur ad tempus vel minuitur. itaque placuit, ut modicum auri vel argenti ſignatum, non iniquum magnarum ædium pretium conſtitueretur. eadem ratione pluſquam verum eſt, patientiam, demiſſionem, fortitudinem, continentiam, nihil eſſe ad cæleſte regnum; ſed eſt illis quædam quaſi nummorum vis tradita, quibus jure tantum comparari mercimonium poſſit. alterum autem, quod in negociatore, & in eo præſertim qui ad regnum cæleſte contendit, requiritur, eſt laboris moleſtiæque ſuſceptio; qui labor ita cum eo conjungitur, ut diſtrahi ab illo di-

vellique vix queat. agendum, laborandum, ſudandum, nunquam quieſcendum eſt, illi, qui ſe cælo ſtudet inferre. nam regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. tum, verbum Græcum, Auguſtinus in interpretatione Pſalmi LXX ait, aptius id quod dicimus exprimit; Græcorum enim lingua, negociari, nihil aliud ſignificari docet niſi, in opere ac labore verſari. ponite vobis ante oculos, mercatorum in re facienda augendaque ſedulitatem, ſolertiam, ac ſtudium; ut labori non parcant, ut nihil voluptatibus, nihil ferme ſomno largiantur; ut trans mare eant; ut hyemi fluctibuſque ſe credant; ut pericula nulla defugiant: idque, ut res fluxas, caducas, incertas, perſequantur. at, quanto alacriori animo omnes eos labores æquum eſt ſumere, omnia pericula adire, qui cælum, hoc eſt, divitias certas, ſtabiles, æternas, nulliſque obnoxias caſibus, ſpectant! ſed, cum jam mercatoris partes ſuſceperimus, cum marſupium pecunia referſerimus, operæ precium erit, ut quæramus, quo in genere mercium (quæ eſt Chriſti orationis pars altera) eam pecuniam, quo nobis lucroſior fiat, collocemus. atque, iſtâ nos curâ liberat Chriſtus, qui omni cogitatione in eo nos jubet eſſe intentos, ut bonas margaritas quæramus, inveſtigemus, inveniamus. etenim, ſimile, ait, eſſe regnum cælorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas. verum (quod Chriſtus addidit minus) ut ſigna & notas locorum, ubi venales proſtent, addiſcamus. atque id nos docet Bernardus; qui mercatum, ubi venale mercium iſtarum genus exponitur, eſſe cælum ait. ille bonas, inquit, quærit margaritas, qui, in operibus ſalutis ſuæ, non eſt contentus inferioribus, ſed ſumma & excelſiora perquirit. O mercem pulcre conciliatam! ô aurum bene expenſum! ille pecuniam ſuam profundit, prodigit, perdit, qui eam in rebus humanis comparandis inſumit; omnino Saraptanæ; ut non ineleganter quidam dixit, mulieris ſimilis, quæ duobus tigillis ſe eſſe contentam ajebat, quibus, pauxillulum, quod ſibi reliquum eſſet, farinæ percoqueret. ac recte. nam, quid eſt aliud popularis gloria, quid ambitiones, quid honores, quos multi per flammam ferrumque

que petunt, niſi tigilla duo, ex quibus inflammatis & incenſis excitatur moleſtus quidam fumus & flamma, quæ cum paululum exarſerit, ſeſeque jactarit, deſinit in cinerem? Sed cur cælum dicitur margaritæ, margarita autem cæli ſimilitudinem quandam, & quaſi faciem, habere? hujus ſimilitudinis Plinius, rerum naturalium indagator acerrimus, cauſas affert, ut mihi videtur, veriſſimas duas. primam, quia principium, culmenque omnium rerum precii, margaritæ tenent. at multo magis cælum, primum in rebus longe optimis maximeque expetendis locum ac numerum obtinet; immo nulla præter illud res eſt, quæ aliquam habeat æſtimationem ac precium; ut propterea dixerit Chriſtus: Et inventa una precioſa. Hæc eſt illa res unica atque precioſa, quam poſtulabat ſibi dari Rex David, cum diceret: Vnam petii à Domino, hanc requiram. Tum, apte ſcienterque margaritæ cum cælo, ac cælum cum margaritis, in comparatione conjungitur, ob affinitatem quaſi quandam, & communionem, quam inter ſe habent: quod margarita, ut idem ait Plinius, ex cælo conſtet, cælique ei major ſit ſocietas quam maris. Verum, cum mercatori noſtro hæc in primis cura ſuſcipienda, hæc opera ſumenda ſit, ut margaritas bonas inveniat, ex hoc neceſſariò illa concluſio naſcitur, eſſe quaſdam, in quibus non eadem inſit bonitas atque præſtantia, quæque à mercatore iſto ſint repellendæ rejiciendæque. Neque deſunt ſigna ac notæ, quibus veræ ac germanæ ab adulterinis ſimulatiſque dignoſcantur: has ille norit ac teneat oportet, ne in vendentium dolos inſidiasſque deveniat. At quatuor præſertim enumerantur ab iis, qui ſunt harum rerum intelligentes; quas ſi in margaritis deprehenderis, jam ſcias, omnes ab eis dolos ac fallacias abeſſe. hæc ſunt, candor, magnitudo, orbis, ac lævor. Cum igitur pro eximia præſtantique margarita, aliquod tibi lucrum vel voluptas vel honor objicitur, color primum eſt inſpiciundus, num albedinem, nullis infuſcatam maculis ac tenebris, habeat; quod ſi obſcuri tenebroſique, quantumvis leve quid, præferat, rejice eam à te, quantum poteſt exclude, emere noli, quoniam veræ bonitatis eſt expers, ſiquidem è cælo non

 conſtat,

conſtat, neque ulla cæli eſt ei ſocietas; in quod, ut à Sapiente dicitur, nihil coinquinatum incurrit, immo quod candor eſt lucis æternæ. deinde, ſi candor à re, quæ tibi pro vera margarita obtruditur, fortaſſe non abſit, ad molem ejuſdem, oculos animumque converte, atque inſpice, num formæ magnitudine, quæ in optimis margaritis exigitur, præſtet. Hic non poſſum, quin hominum ineptias ſtultitiaſque riſu excipiam, qui vitæ hujus honorés, dignitates, imperia. amplitudinis magnitudiniſque nominibus afficiunt. Itane, magnum aut amplum quid volunt eſſe in terra, quæ, ſi cum cælo conferatur, puncti inſtar habere convincitur? quis magnitudinem invenire queat in puncto? quis immenſitates camporum, quis impendentium montium altitudines, quis amœnitates orarum ac littorum, in ea re diſtinguat ac magni æſtimet, quæ, ob ſuam exiguitatem, nullas fere dividi poſſit in partes? Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam. ſupremo judicii die venient ii, quibus nullum veræ religionis lumen illuxit, atque inſanas Chriſtianorum hominum cogitationes, ſtulta conſilia, improba facta, in crimen judiciumque vocabunt, ſuaque continentia, divitiarum honorumque contemtu, libidinem, avaritiam, ambitionemque acriter vehementerque verberabunt, ac pœna ſuppl:cioque conſtringent. Surgent, ut de aliis taceam, Democles puer. Publius, Spurina, Veturius, egregia forma adoleſcentes, qui pudicitiam, vitæ antepoſuerunt: venient, Fabritius, qui delatum à Samnitibus aurum repudiavit, Tuditanus, Democritus, quorum primus bona ſua populo diripienda conceſſit, alter, agros, quos poſſidebat, publicos fieri voluit ut à cujuſvis pecore paſcerentur: accedet penè innumerabilis Philoſophorum turba, qui, ſapientiæ ſtudio delectati. avocarunt ſe ab honoribus, à magiſtratibus, ab imperiis, à Rep. Aderit Scipio Æmilianus, qui, à deleta Carthagine, Africani ſibi cognomen peperit. ac dicet, ſe imperii Romani, quod tum iiſdem fere, quibus orbis terræ, finibus continebatur, pœnituiſſe, quod terra ita ſibi parva viſa per ſomnium eſſet (cum eam de

excelſo

excelſo ac pleno ſtellarum quodam loco aſpiceret,) ut imperium illud, cujus conflandi augendique gratia, tot imperatores, tot duces, tam multa bella confeciſſent, quaſi punctum aliquod, ipſius oculorum aciem effugeret; cumque id ſatis mirari non poſſet, ab avunculo Africano, graviter ſe fuiſſe admonitum, ut defixam humi mentem avelleret, & ad rerum cæleſtium, quarum immenſitas verbis explicari non poſſet, animum cogitationemque transferret. deinde, ad Chriſtianos converſus, objurgatoris vim & acrimoniam ſumet, ,& ſic aget, & ſic loquetur: Vos vero, quos redemit Chriſtus in ſanguine ſuo, quos fecit Deo immortali regnum, non puduit, à Regno cæleſti, quod ſolum eſt æternum, quod ſolum veram amplitudinem habet, cogitationem avertere, eamque in re tam humili, tamque abjecta, cujuſmodi eſt inanis fugacium honorum ſplendor, flagrans pecuniæ cupiditas, aſſiduus finium proferendorum labor, collocare atque defigere. Tertio, margaritæ ille magnus in primis honor habetur, ac majus precium conſtituitur, quæ ſit cæteris forma rotundior, quæ figura, ut eſt in confeſſo apud omnes, amplior, & magis capax eſt cunctis. Sed, cuinam hæc forma, æquum erat, magis conveniret, quam cælo, quod Bernardus continere ait totum, quod delectat, immo, quod totam beatitudinis rationem amplectitur, quam Boëtius, definit eſſe ſtatum, omnium bonorum aggregatione perfectum? ideo, vas, ut ita dicam, ea forma conflatum, illi debetur, quæ ad plura ceteris capienda ſit aptior; hæc autem, nulla eſt alia, niſi rotunda. Hujus vero vitæ bona, quia ſunt pauca, exilia, atque tenuia, receptaculum non ita amplum magnumque deſiderant. At, quotuſquiſque eſt, qui iis etiam omnibus affluat? nemo. nam, qui divitiis abundat, orbus eſt liberis; qui liberis præditus eſt, pecunia caret; qui honorum amplitudine præſtat, variis implicitus morbis, cum adverſa valetudine conflictatur, licet omnia, hoc eodem modo. Sed quid opus eſt verbis? neminem reperire fas eſt, cui nihil deſit, ſed abunde omnia ſuppetant. & ab hoc, quod dicimus, non aberraſſe videtur,

qui nihil hic eſſe ait ab omni parte beatum; videlicet, nullum hic reperiri unionem, apte conglobatum, ac plane rotundum. Poſtremo unioni, cui nihil deſit, mollitudo quædam, ac lævor accedat, oportet: lævor autem qualitas quædam eſt, ſcabritiæ & aſperitati contraria. Quod uniones iſti, qui adeo nobis læves, molles, planique videntur, nempe, divitiæ, voluptates, honores, multis aſperitatibus obſideantur, quod pene innumeris ſpinarum aculeis horreant, quæ uſque ad animam penetrent; nullum aliud certius argumentum, quam experientiam ipſam efflagito. Quemadmodum autem ea ex illis acumina, quæ diximus, prodeant, nullo alio ſimili, aptius, explicari poſſe exiſtimo, quam eo, quo uſus eſt Spiritus ſanctus, qui Iobi ore, verba hæc plena ſapientiæ & gravitatis effundit: Et ſicut ſummitates ſpicarum conterentur. In ſpicis, Gregorius ait, deſignari homines, affluentes opibus, divitiis, honoribus, ac voluptatibus; quorum vitam, aſperam, arduam, plenam periculorum & inſidiarum eſſe, ab eiſque, tanquam à ſpinis, eorum animum pungi, confodi, & cruentari, qui neget, vere vincam eum mentiri. qui Gregorius locum iſtum, paulo ſecus quam nos, interpretatur, qui, ſpicarum nomine, divitias, honores, & voluptates, quibus homines capiuntur, intelligi volumus. Nam ſicut ſpicæ, frugem intra ſe habent incluſam, ſed munitam vallo ariſtarum, quæ pungendi vim habent; ita etiam vitæ hujus bona, quibus non eſt inficiandum amplitudinis, ſplendoris, deliciarum, ac voluptatis, nonnihil ineſſe, clavorum, lancearum, gladiorumque quaſi præſidiis & copiis defenduntur, quæ ſi feriant ac lacerent, poſtulandum eſt ab iis, quos eorum potiri contingit. nam ſi verum adverſus ſe teſtimonium velint dicere, querentur, clamabunt, vociferabuntur, ita ſe ab illis premi, vexari, confodi, tranſverberarique, ut ne minimam quidem partem temporis à ſummis moleſtiis, laboribus, ac periculis, vacuam inveniant; uno verbo, ea, quæ aliorum palato tantopere ſuavia ac jucunda videantur, vere bolos eſſe, refertiſſimos inſuavitatis & amaritudinis, neque eorum oratio, longius

gius à veritate diſcederet. nam margaritæ quoque adhibentur in cibum; quemadmodum olim à fortunatis hominibus, quibus divitiæ ludibrio erant, factitatum accipimus. notum eſt illud, de Cleopatra, Ægypti reginarum nobiliſſima, quæ in uno unione, ex auribus ſibi detracto, centies hs. abſumſit. Notum eſt etiam, quod prior fecit Romæ in unionibus magnæ taxationis, ut Plinius loquitur, Clodius Tragœdi Æſopi filius, relictus ab eo in magnis opibus hæres, qui, ut aperiretur in gloria palati, quid ſaperent margaritæ, atque ut mire placere ne ſolus hoc ſciret, ſingulos uniones convivis abſorbendos dedit. Sed quænam eas vorandi exorbendique ratio inventa eſt à cænarum artificibus gulæque magiſtris? ea nimirum, ut in vaſculum aceti conjiciantur, cujus aceti aſperitate ac vi margaritas in tabem reſolvi, uſus edocuit. Tum veræ atque precioſæ margaritæ, quas Cæli Regnum eſſe diximus, tum eæ quæ nullum fere habent precium, ut res fragiles hujus vitæ atq; caducæ, aceto dilutæ vorantur exſorbenturq;. Aceti nomen recte imponi poteſt malis iis, quibus confertiſſima eſt vita iſthæc, quam vivimus, ærumnoſa ac miſera. At quid eſt tam aſperum, grave, difficile perpeſſu, triſte, durum, quod ferre recuſent ii, quibus libido aliqua imperet, ne bolus aliquis vel honoris vel pecuniæ vel voluptatis, ipſorum è faucibus eripiatur? ut illum multo eliquatum aceto in ventrem effundunt! aliorum tempori ſervire, ſtudiis deditum eſſe, præ quam ipſorum dignitas honorque patiatur, aſſentari, interdiu noctuque ſomnum non capere, ſitim, famem, æſtum, frigus perpeti, aliaque committere quæ pudet proloqui. Simili ratione, quid eſt in dolore, quid in rebus adverſis mali, quod non alacriter fortiterque ſancti viri ſuſcipiant, ut aliquem rerum divinarum atque cæleſtium guſtum ſaporemque percipiant? damna, exilia, carceres, cruces, mortem denique. Sed hoc intereſt inter utroſque, quod illis impletur os calculo, hoc eſt, ſtulti animadvertunt, nihil ſe in ventrem animæ intuliſſe, niſi ſabulum, lutum, ac lapides; & negociationem ſuam aliter, atque opinati fuerant, ſibi cecidiſſe, fatentur: at iſti illud edunt, quod habet omne delectamentum & omnem ſa-

porem ſuavitatis, &, quemadmodum eſt in Proverbiis, guſtant ac vident, quoniam bona eſt negotiatio eorum. Hactenus mercator iſte, profectionem ornavit, iter ſuſcepit, omnes oras, omnia maria, omnes circuit inſulas, ac tandem locum invenit, ubi bonæ margaritæ venales habentur; quid igitur, iis inventis, reliquum eſt ut faciat? illud, quod Chriſtus præcipit, ut unam eligat, quæ ſit omnium præſtantiſſima, tum auctionem faciat, ſervos, ſupellectilem, ædes, fundos vendat, mercedem cogat, eamque mercetur. Vadit, & vendit omnia quæ habet, & emit eam. quibus verbis, duo prædixiſſe videtur Chriſtus mercatori illi, cui precioſa hac margarita opus eſt emta; primum, ut ex iis, quæ poſſideat, venditis, emat; hoc eſt, de ſua, non autem ex aliena pecunia; tum, ut argentum, quod exegerit, totum enumeret, ac ne teruncium quidem unum ſibi reliquum faciat. At quænam, inquies, ita ſunt in poteſtate noſtra, ut nihil ſit juris cuiquam in illis? num divitiæ, opes, honores? minime. nam ea dicenda ſunt noſtra, quæ tota à nobis pendent atque reguntur, neque vim aliquam extrinſecus metuunt; at hæc, quæ memoras, vel furum inſidiis vel fortunæ injuriis vel variis ſubjecta ſunt caſibus; atque, ut, vivis nobis, omnis furibus ac fortunæ ad eas aditus intercludatur, mors denique, quæ cuncta adimit, nihil horum eſſe cuiquam proprium, oſtendit. At fortaſſe noſtra erit omnis elegantia doctrinæ, vis dicendi & copia, rerum admirabilium patrandi facultas, futurarum rerum prædictiones, & immundos ſpiritus fugandi poteſtas? Cave, exiſtimes, hoc nummorum genere, quos vel ab aliis ſumſiſti ſi fateris, vel, ſi negas, ſurripuiſti, cæleſtis Regni margaritam poſſe comparari. Errant, inquit Hilarius, qui hinc ſibi Regnum Cælorum pollicentur; quaſi vero eorum proprium ſit, quod loquuntur & faciunt, & non omnia virtus Dei invocata perficiat. Quid opus eſt verbis? quantum iſthæc mercatoribus illis pecunia, ad id, quod cupiunt, obtinendum profutura ſit, res declarabit, tum nimirum, quum ad mercatū, cum ea, ad tam dives mercimonium comparandum acceſſerint; nam, cum dæmones à ſe fugatos, ac prædictos rerum futurarum eventus, tanquam

pecuniam

pecuniam aliquam proferent, ac dicent: Nonne in nomine tuo Dæmonia ejecimus? nonne prophetavimus? quidnam audituri ſunt à Domino mercis? Neſcio vos; diſcedite à me, operarii iniquitatis. Non poterit aptiori vocabulo, quam iniquitatis, improbitatem illorum ante oculos ponere. quid enim eſt tam iniquum, quam pecuniam, aliis debitam, domum ſuam avertere, cum eaque ad mercatum proficiſci, ut locupletior unde diſcedat? De noſtro igitur, ſubdit Hilarius, eſt beata illa æternitas promerenda, præſtandumque eſt aliquid ex proprio. At quænam eſt res illa, cujus poſſeſſio ita ad nos ſolos pertinet, ut in nullam ejus partem, nobis invitis, cuiquam venire jus ſit? hæc eſt, voluntas hominis libera, quaſi patrimonium ipſi à natura conceſſum & traditum, unde nemo poſſit ipſum evertere; hoc precio precioſa illa margarita, hoc eſt, Cœlum, emitur, haud alio; hoc, Deo, pro illa perſolvendum eſt; verùm, univerſum; quod eſt alterum, quod Chriſtus monuit, cum dixit: Vadit, & vendit omnia, quæ habet. nam, ſi quid huic precio, quantumvis minimum, aberit, ſtatim negotiatio diſſolvetur, neque emtio ac venditio aliqua conſequetur. Inter voluntatem noſtram, ad cæli emtionem, quod attinet (quandoquidem eo illud precio deſtinari dicimus) & inter alios nummos, ſive aureos ſive argenteos, hoc intereſt, quod iſtis, ſi quid detractum abſceſſerit, non omnis æſtimatio adimitur, ſed, quam ponderis ratio patitur, ea relinquitur: at voluntas, ſi quid de ſua integritate deperdat, eo quod in alias res, præter Deum, diſtrahatur, continuo omnis illi fides abrogatur, & inter adulterinos nulliuſque ponderis nummos exigitur. Voluntas, Bernardus, inquit, non eſt bona, ſi non operatur, quod poteſt. videlicet, quæ non tota fertur in Deum, ſed, ex aliqua particula, aliud quidpiam expetat. nam hæc, tanquam nummus adulterinus, ad unicam illam precioſam margaritam, hoc eſt, ad Cæli Regnum promerendum, nullam plane vim habet.

OPVSCVLORVM SPIRITVALIVM

FINIS.

IOANNES VICTORIVS
ROSCIVS,
ROMANVS,

DESPICERE SVI FOETVS INGENII,
LICET PRÆSTANTISSIMOS,
INDEQVE
IANI NICII ERYTHRÆI
GERERE PERSONAM SOLITVS,
NOBILISSIME ET AMOENVS ET PIVS VIR;
VEL DE
SPIRITVALIVM OPVSCVLORVM
VLTIMORVM TRIADE,
CENSENDVS
REIP. CHRISTIANÆ LVMEN EXIMIVM;
VITAM MORTALEM SANCTE FINIIT
IN VRBE PATRIA,
NON NIHIL
SEPTVAGENARIO MAIOR,
IDIBVS NOVEMBRIS
CIↃ IↃC XLVII.

AMICO OPTIMO ET HONORATISSIMO
L. M. Q. P.
BARTOLDVS NIHVSIVS.

A01 1467587